



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

Julius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

## I. DIES JULII.

Qui agunt, quod bonum est; ab illo aguntur, qui bonus est. *S. August. de grat. Christi c. 25.*

Bonitatur.

I. **H**Actenus Mali indolem, genitum, naturam, & quæ ex Malo oriuntur, vitiorum lineamenta graphicè expressimus; ut primum illud Davidici consilii membrum observaremus: *(a) Declina à malo.* Sequitur jam alterum: *& fac bonum.* Speciosa hæc erit ut relatu; sic & lectu materia. Primum, hæc est omnibus communis lex: quod bonum sit appetendum; contra, malum fugiendum. At, quia bonum est in convenienti; & aliquod est proprium singulis speciebus, objectis potentias, potentiis organa, utriusque certas actiones certis inclusas limitibus, sapiens natura contemperavit. Uniformis, est primi mobilis motus, omnes secum rapiens cælos, singulis tamen Planetis, & octavæ Sphæræ suus singularis est, quem nunquam desinente cursu à momento suæ creationis sequuti sunt, & in posterum sequentur. Sicut autem omnes cæli moventur à primo mobili; sic quisquis agit, quod bonum est: ab illo agitur, qui bonus est: ille, qui est summum Bonum, efficit, ut omnia appetant bonum: sed singulæ species suum. Jus est, & bonum, piscibus in aquis degere, avibus in aëre; quadrupedibus, in terra.

II. A.

*(a) Psal. 36. 27.*



II. Amoris divini fecunditatem ad extra , D. Dionysius (a) exprimit per circulum boni; qui à bono per bonum procedens ad extremum eorum, quæ existunt, in bonum revolvitur. Hoc boni si longè diffundentis progressu sit longa series graduum, qui à supremo, & illi vicinioribus sensim recedentes, tandem fiunt oppositi : sic inter diversos, diversissimi. Deus infinitus est circulus , in quo, quia nihil nisi infinitum, diameter, erit centrum, & circumferentia, omnis diversitas, identitas; omnis duratio, æternitas; omnis discretio, simplicitas; omnis motus quies; omnis inæqualitas, æqualitas; maximum, in quo concidit minimum; quia diversitas complicata, identitati complicanti non opponitur; omnia complicans, quia in eo omnia : omnia explicans, quia ipse in omnibus. Nullum itaque est magis alienum, aut publicum bonum, quàm Bonitas: quia est omnium, & pro omnibus: quæ propter Bonitas, est census publicus, alienum bonum. Res omnium, non sui solius patitur esse. Bonitas est, quæ sufficit sibi: inò est insuper, quæ sufficit omnibus. Parum adhuc dixi: non tantum est, quæ nullius eget: sed cuius omnia egent. Deo egemus, non tantum ut simus, sed ut benè simus.

III. Bona autem omnia hæc creata, quæ sunt extra summum Bonum: literæ sunt desuper ad nos missæ, in quibus, qui cæcus non est, legere poterit Bonitatem Dei. Quæcumque igitur, cæli, & terræ ambitu continentur; quæcumque à summo Opifice vel dantur, vel auferuntur: literæ sunt, quæ nos vel à vitiis extrahunt, vel ad virtutes trahunt: vel ter-

rendo

(a) De divin. Nom. c. 4.



rendo monent, vel monendo frœnant, vel frœnando retrahunt à malo, vel retrahendo à malo urgent, incitant, impellunt ad omnia bona. Quid igitur faciliùs, quàm facere bonum? Hic tantùm adhibenda est cautela, ne confundamus bona, & mala. Anxia res est humanorum conditio bonorum; & quæ nunquam vel tota proveniat, vel nunquam perpetuo claret; inest singulis, quod inexpertus ignoret, expertus horreat. Nihil mortalibus bonis, est immortale, volvunt humana vices crebræ, & omnium rerum fuga fit. Videre licet magna gaudia ex insignibus malis; & immensa mala ex ingentibus gaudiis. Quid stupes? Hæc est inferiorum conditio, sic ad tempus quiescere, sic moveri, pompa est; ostenduntur istæ res, non possidentur; dum placent, transeunt. Cùm igitur hæc sit mortalis hujus vitæ fors; ut mala bonis, zizania tritico; lolia liliis, mœsta laticis; tineæ floribus intermisceantur: unum superest remedium, separare pretiosum à vili, mundum abemundo, lucem à tenebris, bona à malis. In quo negotio, nostra posthac sudabit industria, cùm jura Poëtam:

*Sunt bona mixta malis; sunt mala mixta bonis.*

## 2. DIES JULII.

Quidquid magnum sub Deo, illud minus est Virgine. *S. Anselm. de Excel. B. V.*



Julius.

Post magnum  
Deum, nihil  
majus Matre  
Dei.

I. **P**ostquam ille, qui nos visita-  
vit oriens ex alto, circum-  
seripserat se Virginis ute-  
ro, & illa voluit visitare suam co-  
gnatam, sacro divini prodromi partu gravidam. Illa,  
cui Dominus facerat magna, cui se submittit omnis  
creata Magnitudo, invisit illam, quæ erat Mater il-  
lius, qui futurus erat magnus coram Deo, & homini-  
bus. Quid sub cælo, vel in cælo tam magnum, quàm  
Mater illius, cujus magnitudinis non est finis? sed  
pace tuâ, ô Virgo! vide, quo progrediar: audi, quid  
eloquar. Undè quæso illa in te magnitudo, ut Dei  
Mater efficereris, nisi à me? Fuisses quantumvis hu-  
milis, & pudica, & prudens; fuisses, licet omnium  
virtutum laude præcellentissima; nihil hæc tibi tan-  
tum ad honorem suffragata essent. Nisi enim scele-  
ra, & peccata mea fuissent; nunquam Dei Filius, de  
sinu Patris in sinum tuum delapsus fuisset: nisi mali-  
tia mea ascendisset ad cælum; nunquam illa Maje-  
stas descendisset ad terram. Etenim, sine me pecca-  
tore, quid opus fuisset Redemptore? sine me ægro-  
tante, quid opus fuisset Medico visitante, & curan-  
te? Itaque nisi mei miseri miseriaris; propè dixerim,  
te à jure, ab æquitate, ab officio discessuram, neque  
quidquam obstare, quo minus actione ingrati, tecum  
experiar.

II. Grati igitur animi ratio exigit à te, ut quo pec-  
cante, Dei Matris honore ac nomine gaudes; eo-  
dem etiam pœnitentiam agente, patronæ ejusdem  
munere fungaris. Exultavit hodie in Cognatæ tuæ  
utero infans: in tua est manu, ut hodie totum cum  
Angelis exulter cælum; ad illos enim, sic testante



tuo Filio, gaudium ingens permanat, ex me peccatore pœnitentiam agente. Ne igitur, me deserendo, hanc illis voluptatem eripias: patere ad summum illorum, æternumque gaudium; quo in cœlo fruuntur, hunc etiam lætitiæ cumulum accedere. Neque tibi JESU meus, Filius tuus, non poterit, pro me roganti, tibi obsequi. Equidem eidem omnis præcisa est ratio recusandi. Quid enim poterit dicere, plura esse peccata mea, quàm ut eorum numerus possit iniri? at longè est major numerus misericordiarum suarum, quàm iniquitatum mearum. Et magis peccavit Cain dicendo: (a) *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, quàm quod fratrem nâ cæde se inquinasset. Num apertè, & rotundè respondebit se nolle mihi ignoscere? at contra pollicitationem suam venire sustinebit, qui toties in sacris literis edixit: simul ac peccator tactus dolore cordis intrinsecus, unicam ex oculis lachrymulam expresserit; statim se: omnia illius peccata in oblivionem adducturum.

III. Vis misericordiam tuam non tam impetrem, quàm extorqueam? Si Filius tuus, vix jam Filius hominis, quia vix homo, cum penderet è cruce, & tu stares juxtà crucem, illis ipsis, qui crucifigendo ei vitam auferabant, vitam suam offerebat, & cum illa delicti veniam: quid non faciet pro te Mater sua, à qua accepit vitam? Si Filius tuus, ut Deus, rebus etiam inanimis, tot; ac tanta illis non petentibus, sed ultrò, contulit beneficia; quid faciet pro te; à qua accepit, quidquid est hominis, in corpore hominis? potissimum obsecrante te, & veluti imperante

(a) Gen. 4.



Julius.

Tessera.

511

ex jure materno ? Bonis filiis preces Matris pro imperio sunt : quis melior filius, quàm JESUS ? quæ melior mater, quàm MARIA ? quæ obligatio major, quàm hujus optimi Filii, erga optimam Matrem ? Optimus Filius optimæ Matris, potest efficere, ut uno momento, qui fui pessimus, fiam optimus ; imò, ut qui fueram inter optimos, novissimus, fiam primus, & qui fueram primus inter pessimos, fiam novissimus. Filius tuus verbo virtutis suæ fecit omnia esse, non poterit eodem efficere mihi uni benè esse ? Ut mihi benefacias, satis est mihi, benedicas ? Dicam ergò cum Ecclesia, filius Ecclesiæ :

*Nos, cum prole pia, benedicat Virgo Maria.*

### 3. DIES JULII.

Homo cùm peccasti, aliud esse cœpisti, & quod eras, esse desiisti, ut fieres ex homine pecus. *S. Ambros. in Psal. 118.*

Quidquid I. **H**omo naturâ unus, affectûs diversitate fit varius; est enim, vel CARNALIS, vel ANIMALIS, vel SPIRITUALIS. Carnalis est, qui belluæ ritu, divina & humana negligit; cujus vita, corporis est ancilla, solo negotiosa cibo, somno, libidine; & huic convenit prædicta tessera: dum enim carni nimium lenocinatur; jam ab eo, qui fuerat à Deo conditus, plane fit alius, quia fit pecori simillimus. Animalis est, qui judicio sensus humani, quid decens, honestumq; sit, sentiat;

&c



& ab omnibus vitiis, propriâ animi inductione se re-  
ferat; sic ut pecuniam spernat, ambitione careat, vo-  
luptatibus resistat, bonitate venerabilis sit. Denique  
spiritualis est, qui hoc, quod agit, non ut animalis na-  
tura rectæ instinctu, sed Dei afflatu agit; ut intelli-  
gens, quæ sit voluntas ejus, arcanum secreti confili-  
& absconditi à temporibus sæculi, per revelationem,  
ac donum Spiritus sancti sciens, quæ ratio sit à Deo  
carnis assumptæ, quæ crucis triumphus, quæ mortis  
potestas, quæ in virtute Resurrectionis operatio.  
Prior, exprimit in se imaginem pecoris; alter, homi-  
nis; tertius, Angeli.

II. Vide, in quorum te velis referre classem. Deus,  
qui est ipsa liberalitas, tibi providit liberalissimè  
non tantùm tibi dedit naturam perficere, sed eli-  
gere. Dedit enim tibi esse, quod velis cum dede-  
rit velle. Potes igitur, per omnem ambitum orbis,  
jacere invidos oculos; & ad tuum arbitrium, in eam  
rerum classem adscribi, quæ placet magis. Eja igitur,  
veni, assurge, erigere: veni, non in eminens aliquod  
montis jugum, non in verticem Olympi, sed extra  
omnes anni, & solis vias; extra sidera; in magnam  
illam speculam non entium, & immanem vastita-  
tem, ubi nihilum imaginarium spatatur. Finge te  
inter eas jacere umbras, cum spe solùm, simul & po-  
tentia spectandæ lucis, veniendi que ex illa tenebri-  
cosa nihili abyfso, in mundi hujus municipium; &  
jam testare in ipso, ut ingrediaris, mundi vestibulo;  
datam tibi porrò potestatem, eam subire naturam,  
quam velles; & sub illa larva, quam malles, ut quam-  
cumque in illo mundi theatro agas, quam volueris  
personam. Audi Magistrum hujus magnæ scenæ

amicè

Julius  
amicè a  
diam, b  
mund  
conscrib  
propo  
quod est  
III. I  
talla: ec  
res: ecce  
des, vol  
mines:  
gultum  
two con  
in quam  
ses anim  
pem, au  
ordinib  
potius q  
lis in vu  
threo li  
mentis i  
esse Ang  
coelum,  
litus co  
id, quo  
ut hom  
us, vel  
explic  
diffund  
de, si e  
faces re  
per cir  
Par



Julius.

Tessera:

513

amicè alloquentem : Age, dilata oculos, pone invidiam, bono animo sis, in Rempublicana coaptaris mundanam. Cumulatissimè tibi indulgeo, in eum conscribi ordinem, quem volueris. Vide omnes, propone tibi singulos, considera universos; eris, quod esse volueris.

III. Ecce servilem gregem, elementa, saxa, metalla: ecce vulgus viventium, herbas, frutices, arbores: ecce sentientium plebeum, reptilia, quadrupedes, volucres, pisces: ecce equestrem ordinem, homines: ecce Senatorium, Mentem: ecce meum augultum solium. In nullam te urgebo classem, sine tuo consilio, arbitrio, suffragio. In illam te admittam, in quam volueris admitti. Nunquid tam humilis es, sed animi, ut eligeres glebam esse, aut aërem, aut rupem, aut pinum, aut pecudem, spretis superioribus ordinibus? Ni fallor, imò scio me non falli, puto potius quid dico? scio relictis splendentibus metallis in vulva terræ; pellucetibus unionibus in Erythreo littore; frondosis arboribus in nemore; armentis in campo; imò & hominibus, in foro; malle esse Angelus in cælo; imò si posses, & Deus supra cælum. Hæc tibi divinitus data est potestas; hæc cælitus concessa libertas: Natura sub votum venit; fies id, quod esse volueris, vel, ut pecus CARNALIS, vel ut homo, ANIMALIS; vel ut Angelus, SPIRITUALIS; vel ut Deus, unus cum illo spiritus. Nunc igitur, explia oculorum lumina? dilata cordis desideria; diffunde obtutum per immensa divinitatis spatia: vide, si est quod esse concupiscas. Cur per valles, & faeces rerum, dimittis oculos, & invides? Leva per circuitum oculos; & vide omnes omnium

Pars II.

Kk

entium



entium ordines, sunt in tua potestate. Quidquid tu hoc es. Utere prudenter tuâ libertate, nec velis ab utâ potestate. Non enim à fulco veritatis Poëta erant vit, cùm hæc exaravit :

*Quanta hominis libertas, est & tanta potestas.*

#### 4. DIES JULII.

Nisi divinæ gratiæ subveniat adiutorium, nihil prodest copiosum cujuslibet adhortantis eloquium. *S. Augustin. cont. Julian. lib. 2.*

**Sine gratia nihil possumus.** I. **S**icuti, ut declinemus à malo, sic ut faciamus bonum, opus est Gratiâ illius, à quo procedit omne bonum. Quod est anima corpori, hoc est Gratia Animæ. Illud sine anima, caret vitâ naturali : hæc sine gratia, vitâ supernaturali. Corpus vitâ destitutum, frustrà, in ipsissimo meridie soli, dum toto radiorum apparatu circumfulget, exponis, ut oculos videndo : frustrà, vel ex Græcia Demosthenem ; vel ex Italia Tullium evoces, ut aures audiendo : frustrà, totius Maji è viridariis flores, aut ex Arabia seligas exquisitissima aromata, ut nares odorando : frustrà, ex Pontificum cænis, aut Lucullus mensis saliares proponas dapes, ut palatum gustando : frustrà, cuniculi pilos, vel si quid mollius offeras, ut manus tangendo oblectet : corpus ad nullum sensus lenocinium aspirat, dum caret Animâ, quæ spirat. Sic animæ, nihil, quod est suprâ animam, nisi celeste, nil divinum placet, & est gratum absente gratiâ.



Julius.

gratiâ. Circumfulgeat eam de cœlo lux, non videt; resonet dulcis illa dilecti vox, non audit; aspi- ret bonus odor Christi, non arridat; pluât illi man- na de cœlo, nauseat anima ejus super illo cibo. Nihil, quod est ex Deo, animæ prodest; potiùs obest, ubi gratia Dei abest.

II. Quid es cum gratia? quid sine gratia? cum ea, conversatio tua est in cœlo; sine ea, in cœno; cum ea, es dignitate Seraphinus; sine ea, es vilirate scarabæus: cum ea, es, quæ solem intueris Aquila; sine ea, es, quæ in tenebris cæcutis noctua: cum ea, in vinea Domini portas pondus, & æstus diei; sine ea, stas totâ die otiosus in foro: cum ea, curris per viam mandatorum Dei; sine illa, (a) *sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo*: cum ea, generosus ut Samson, dilaceras leonem, quasi hædum; sine ea, dicis ut piger ille: (b) *Leo est fortis, in medio platearum occidendus sum*: cum ea, audes masculâ voce exclamare cum illo palludato bellatore: (c) *Si consurgant adversum me castra, non timebit cor meum*; sine ea, ut meticulosus Adam, jam exutus stolâ primâ, clamas: (d) *Timui, eò quod nudus essem*: cum ea, nutritis in croceis, & guttas, quàm suavis sit Dominus; sine ea computrescis ut jumentum in stercore suis: cum ea, anima, ut Nazaræi, (e) *est candidior nive, nitidior lacte*; sine ea, *denigrata est super carbones*. Vis compendio illius bona; hujus mala, atque ad eò utriusque statum? Audi Chrysologum: (f) *Quod vis, unde vis, quando vis, habes. Nos præter tuam gratiam nihil habemus; per quam stamus, vivimus, movemur,*

K k 2

G

(a) Prov. 26. 14. (b) Jud. 14. 6. Prov. 22. 13. (c) Ps. 26. 3. (d) Gen. 3. 10. (e) Thren. 4. 7, 8. (f) Serm. 97.



*Esumus: sine qua, jacemus, deficimus, perimus.*  
Quantum perire times, tantum ne pereas, Gratiam  
ambias.

III. Nihil est tam futile, & imbecille, aut invale-  
dum, quod non valeat ad tui exitium; nisi accede-  
gratiæ auxilium: sine gratia, ut nihil valeas, & ut pe-  
reas, sufficit vel una locusta, vel musca. Audi: (a) *lo-*  
*los locustarum, & muscarum occiderunt morsus; suffi-*  
*cit unius crabronis bombus; unius fimbriæ mulier-*  
*culæ strepitus, vel soleæ ejus crepitus; unius puell-*  
*læ arridentis oculo niçtus; unius putidæ fœmell-*  
*halitus: denique minima cadendi occasio, tui læ-*  
*est perditio. Sol, fons luminis, & diei est pater; sed*  
*subindè patitur Ecclipsim: Luna pulchra, sed prodit*  
*suas maculas; astra fulgentia, sed nebulis obum-*  
*brantur; candidum ebur, sed verustate nigrescit;*  
*speculum suo lævore clarissimum, verum halitu infu-*  
*citur: sic anima, licet gratiæ dono venusta, facile*  
*concipit labem, accipit cladem per insidiantis de-*  
*monis fraudem. Denique vis intueri tui ipsius line-*  
*menta; ut intelligas, qualis sis sine gratia? expende*  
*Verba Tertulliani de Marcione, & idem de te dixeris*  
*sine gratia peccatore: Marcion, Schyæa tetrior. Na-*  
*maxebio instabilior, Massagetâ inhumanior, Amaze-*  
*ne audacior, nubilo obscurior, hyeme frigidior, gelu-*  
*fragilior, Istro fallacior, Caucaso abruptior, Cùm igitur*  
*sis talis sine gratia; pluris æstima minimam grati-*  
*am, quàm cujuscumque rei maximam scientiam. Ne-*  
*enim erravit Poeta, dum dixit:*

*Gratia fit pluris, quàm tota scientia furis.*

(a) Sap. 10. 10.

§. DIE



## 5. DIES JULII.

Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. *S. August. lib. 14, de Trinit. cap. 12.*

Gratiæ dignitas; & I. hominis eam spernentis fatuitas.

**N**on tantum magna, sed miseriarum est maxima, non esse cum eo, ex quo, per

quem, in quo sunt omnia. Omnes quidem sunt in Deo, sed non omnes cum Deo. Si Memoria illius non meminit; si Intellectus non percipit; si Voluntas non diligit, in Deo es, sine Deo. Præsente gratiâ, es cum Deo: absente, tantum in Deo. Ne igitur gratiam abicias: quanti illa, quæ est inæstimabilis, sit æstimanda ut capias, animum adjicias. Nemo avarus se præ lætitia capiat; si cum decubuerit lrus, expergitur Cræsus. Quis non stuperet, nisi stupidus; si vesperi agricola, manè post somnium esset Monarcha? Si pridie Jobus in sterquilinio? postridiè esset Salomon in solio? Si momento ante, miserorum in hac vita ultimus; esset momento post, beatorum primus; O nostram capitalem dementiam Gratiæ dignitas, hominem sublatum è primogenio pulvere, in divinam familiam transcribit: ejus dignitas, totam infinito intervallo naturam infra se despectet. Præcedere aliquem, aut propter nobilitatem, loco; aut propter dignitatem, gradu; hominum judicio magni fit. Quid erit omnes naturæ gradus excedere?



II. Immenſum propè eſt diſcrimen inter naturam nobiliſſimam ſupremi Angeli, & abjectiſſimam vilis vermiculi: ſit tamen aliquis pure, & ſanieratus, ac ulceribus plenus in cœna Lazarus; ſi gratia polleat, magis excedit naturam primi Seraphini, gratiâ careat. Quid ſi Deus procrearet aliquem tanta excellentiâ, ut non modò, quæ vivunt vitâ vegetivâ, plantæ, aut ſenſitivâ, pecora, aut rationali, homines omnes; ſed & novem Angelorum chori illo interioriores, illum, ut omnibus ſuperiorem colerent, & venerarentur: illine conveniret abjicere ſe ad harum porcorum? vivere inter brutas pecudes? habere naturam jumentorum? Excellior, quàm dixi, tua eſt præſtantia: Excedis gratiâ præditus, non modò omnem quæ condita eſt, naturam, ſed quæ à Deo condita eſt. Quæ ergò in tanta hominis dignitate, eſt indignitas? à Deo tantum oblatum donum ſperni & quiſquiliis rerum, ac pericula cœni non ſolum poſtponi, ſed dæmoni vendi, ac mancipi? Quæ fatuitas, malè à dæmone accipere unicam è cloaca cœnoſæ aquæ ſtillam, quàm à Deo perennium voluptatum torrentem? malſe ſe ſubmittere imperio dæmonis, ob promiſſam unius lutoſæ ſuis ſiliquam, quàm Numinis, ob promiſſam in cœlis æternam gloriam?

III. Verùm dantes hæc munera tam diſparia mitte, dantium animum expende. Dat Deus profuſè, incredibili amore, inæſtimabilem margaritam: dat dæmon parciffimè ex implacabili odio infame ludibrium; ſi muneri præmium facit dantis potiùs animus, quàm munus: quid hoc tandem furoris, ac dedecoris eſt, levi compendio, applauſu, & voluptate?



Julius. voluptatulâ, quibus rabie ardens inimicus, mortem  
 miscet, quam tibi objicit, summum summi Dei do-  
 num projicere? & jacturâ illud emere, quo infœli-  
 cius, ac crudelius pereas? Esetnè ille homo censen-  
 dus inter homines, qui ut placeret dæmoni, mallet  
 potius uno momento frui umbrâ asini, quàm, ut pla-  
 ceret Deo, æternum gaudere dignitate, & gloriâ An-  
 geli? Nec tantùm extrema est fatuitas, gratiam abji-  
 cere; sed nolle cum ea negotiari. Fingant sibi tantùm  
 unius diei jejunium, totis Indorum pensandum clas-  
 sibus; quis illi persuadeat, ut à tantilla se molestia  
 excuset? ut eâ potiatur fortunâ, toto illo die non  
 modò lubens, sed gaudens, nullam nec gustabit pa-  
 nis micam, nec libabit aquæ guttam. O nos ignava  
 capita! unicum si ad Deum dirigas cordis suspirium,  
 mille Indias, ac totidem mundos, intervallo inex-  
 plicabili transcendit. Missa identidem cælo vox,  
 JESUM spirans, totum meretur Regnum JESU.  
 Quis non sexcenties quot horis JESUM nominet,  
 supari numero auri acciperet millones? Et hoc  
 quantulum est cum iis compositum, quæ certâ fide  
 nobis promittuntur? Et qui promittit, nec te potest  
 fallere, nec tu ab illo falli. Non ut perfidus mun-  
 dus, qui

*Aurum promittit, ferrum pro munere mittit.*



## 6. DIES JULII.

Si hominem te fecit Deus, & justum te facis, melius aliquid facis, quam fecit Deus. *S. Augustinus serm. 15. de verb. Apost.*

Dignior est I. gratia, dono faciendi miracula.

**C**onspirans est Theologorum opinio, inter Dei opera, mirabilius esse, ac dignius opus justificationis, quam Creationis. Sic opus tuum est præstabilius, dum æ amissam gratiam recuperandam, & promerendam te disponis, & præparatione sedulâ invidas, quam erat Dei, cum te creando, in te inspiravit (piraculum vitæ. Hinc teste D. Gregorio, (a) *Pluris fuit conversio Pauli, Christum persequentis, quam Lazari quadri- duani in sepulchro fœtentis. Et meritò; quia dum mortuus à funere excitatur, datur vita carni iterum castitæ; animæ verò nunquam desituræ. Hinc opus patras longè mirabilius, Deo, superisq; omnibus multo acceptius, dum antea actæ vitæ scelera dolore rescindis, serioque ad frugem redis, teque per gratiam Deo reddis; quam si omnibus in mundo cæcis diem, surdis auditum, mutis sermonem, quamcumque infirmitate laborantibus virium omnium integritate restitueres; imò & mortuos omnes, apertis eorum monumentis, à funere excitares. Fingamus indici æternæ mortis apud inferos, reis, facultatem vitæ melius retexendæ, atque ita illis se cruciatibus eximendi; an*

(a) *S. Greg. l. 3. Dial. c. 17.*



illorum, vel unus tantum munus esset reje<sup>ct</sup>urus, vel ad aliud tempus remissurus, imò, vel ad momentum dilaturus? Nobis integrum est Dei præsidio, quod ulterò offertur, adjutis, emergere ex majoribus malis, quàm sint omnes damnatorum poenæ, hoc est, è lethalibus sceleribus; si quidem iis sinus involuti, & tamen adhuc cunctamur, & inconsulti deliberamus, an velimus tot nos malis liberare.

II. O dotem, dignitatemque! quam Sponsæ Animæ impertit Sponsus Deus! vim nempe, procreandi Deo filios, & itæ matri, ac dæmoni patri subductos, in sinum gratiæ, & Christi jura transferendi! Potes, dum lubet (& cur, ac cui non lubeat?) parabili labore nocentes ad vitam meliorem revocare; & ex familia dæmonis, Dei in filios traducere. Fecit id, & magno animi quæstu, ex sacrâ D. Francisci familiâ B. Cherubinus; (a) qui ut mortuas animas gratiâ animaret, antequam conscendebat suggestum ad populum dicturus, septem horas Deo vacabat orando in secessu, ut diceret cum successu: & ut intelligas, quò dixerit fructu; post ejus obitum, occurrerunt illi cœlum petenti sexaginta sex millia animarum, quas concionibus suis ab æterno exitio ad beatam vitam traduxerat: cui & gratias immortales, pro immortalitate, qua illas donaverat gloria, agebant. An non illa major est gloria, quàm patrasse omnia, quæ post homines natos, ab hominibus patrata sunt miracula? Quæ, malum! infania nostra, velle corpus mortale, sanum miraculo servari; mortem ab anima immortalitate, ne remediis quidem communibus defendi?

III. Quæ hæc est, dicam, miseria; an infania, an

Kk 5

focor-

(a) *M. Mor. Chron. p. 3.*



focordia, an malitia? ubi tibi jacenti, ut erigat Deum  
 fericordia, dextram porrigit, nolle surgere, velle al-  
 tius cadere, pertinaciter jacere, perenniter perire?  
 Dubitas fors de Dei expedita, ut tibi succurrat, mise-  
 ricordia? Audi D. Hilarium: (a) *Dei justitiam mise-  
 ricordem prestat criminorum pœnis indulta patientia. Hoc in Deo precipuum est; hoc in potente laudan-  
 dum, non calū fecisse, quia potens est; non terram frun-  
 dasse, quia virtus est? non annū astris temperasse, quia  
 sapiens est; non hominem animasse, quia vita est; non  
 mare in accessus, ac decessus movisse, quia spiritus est;  
 sed misericordem esse, qui justus est; sed miserantem  
 esse, qui Rex est; sed dissimulantem, qui Deus est. Quod  
 potens est, natura sua virtus est: quod autem miseri-  
 cors est, salutis nostræ profectus: & plus est non suis  
 uti; sed aliis prestitisse, quæ sua sunt. Atque adeo pre-  
 stat ceteris Dei operibus misericordia, quia magnifica  
 ejus operatio, virtutis suæ res est; misericordia vero  
 ejus; usus alienus est. Ob quod tanquā in apice divina-  
 rum, ob misericordiā laudum, Propheta consistens, de-  
 bitum Dei honorē, veluti publicæ confessionis ostendit,  
 dicens, postquam dixisset: Miserationes ejus super  
 omnia opera ejus. Confiteantur tibi Domine omnia o-  
 pera tua, &c. Tanta est Dei misericordia, ut suffi-  
 ciat, te agnoscas, & doleas miserum, ut tollat tibi mi-  
 serias. Eris mox innocens, si doleas te fuisse nocen-  
 tem: minima animi, ob commissa scelera, dolentis  
 contritio, est commissorum scelerum remissio. Tu  
 Deo debita omnia solvis, dum Sacerdote te à peccatis  
 absolvit. Aperi Dei Vicario tua crimina; & mox ani-  
 ma tua erit tota pulchra, sine macula. Et Contrā:*

*Crimina si celas, claudent tibi crimina calum.*

(a) Hilar. Ps. 144. f. 244.

7. DIES



## 7. DIES JULII.

Time, cùm arriſerit Gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuò revertetur.

S. Bernard. *serm. 54. in Cant.*

Timendum  
& cum gra-  
tia, & sine  
gratia.

I. **E**Cce hîc pro tribus punctis  
triplicem timorem. Tripli-  
cem priùs timendi causam ex  
gratia.

S. Bernardo accipe: (a) Gratia  
cùm adest, time, ne non digne opereris ex ea; nam hoc  
monet Apostolus: *Videte, ne in vacuum gratiam Dei  
recipiatis.* O si non nesciremus, quantum insit mo-  
menti cuilibet temporis momento, ad incrementum  
gratiæ, & augmentum gloriæ! nullum efflueret tem-  
poris punctum vacuum aliquo virtutis exercitio:  
quælibet respiratio oris, esset ad Deum aspiratio cor-  
dis. Si sciremus, quanta nobis sit promissa merces:  
vel semel ex præscripto virtutis agentibus; foret in-  
tolerandum nobis, cùm possemus centum virtutis  
opera exercere, unius nobis copiam eripi: & quod  
consequens est; accessionem gratiæ illi responsuram.  
Non multum à te petitur; ut sis optimus, tantum  
imitare pessimum, hoc est, hominem avarum: fac  
tantum pro augenda gratia, quantum ille pro ac-  
cumulanda pecunia: pudeat te non facere pro Deï  
domicilio, quod facit avarus pro uno obulo. Nō plus  
à te poscitur pro magna gratia, & gloria, quàm quod  
ultro peccator molitur pro vitio, & tartaro. Esto cum  
laude; imò cum lucro avarus gratiæ, & attentus lucris  
cale-

(a) 2. Cor. 6.



cælestibus, sint tibi quælibet temporis feriæ, virtutum comparandæ nundinæ. Nunc dies est salutis, potes beneficio gratiæ te salvare. Veniet nox, quando non licebit negotiari. Time ergò, ne se modò negligas negotiari, ante ipsam noctem, veniat tibi illa nox, qua tibi nolenti cum gratia operari, nihil superfit, quàm æternum cruciari.

II. Non modò timendum, cùm gratia ariserit, sed cùm abierit. Rationem ex citato Bernardo accipe: *Si recesserit, multò magis timendum est: quia ubi tunc deficit gratia, ibi deficiis tu. Time ergò, substracta gratiâ, tanquam mox casurus.* Quis in tam misero statu non timeat à casu? qui non timeat ab eo remorus, qui solus potest amovere omnia timenda? quis non horreat, cùm in pectore habeat, & foveat, quod est horribilium, horribilissimum peccatum? Fors primum, quod committes scelus, erit ultimum, quo mensuram impleas scelerum? Sicut enim divina Justitia certam singulis Regnis, Provinciis, urbibus constituit mensuram, certo numero, gravitate peccatorum definitam: quâ impleta, in vindictam exurgit bello, fame, peste, aliòvè modo inferendâ: ita & singulis hominibus terminum posuit, & annorum, & peccatorum. Quæ porrò sit illa mensura, illi soli exploratum est, qui omnia disposuit in numero, pondere & mensurâ. Qui ergò in primo peccato te poterat justè deserere, cur injustus erit, si te deserat in millesimo? Tu cupis perire, quid mirum, si deserat perire cupientem? Quid facit Deus? an temper patitur te contemni? ut jam non putetur esse amplius Deus, qui scelerum judex, & sceleratorum sit vindex. Clamat ejus justitia, clamant Angeli de cælo, cla-

mant

Julius  
mant ca  
suffiner  
inimico  
inimico  
gò, rem  
justitia.

III.

abitus  
nardi ra  
multo a  
vam pa  
titeras r  
in ultim  
serio vo  
propè r  
Quod f  
cum ag  
nus est  
tranare  
adhuc  
profun  
victori  
ab unio  
cùm he  
crimin  
hinc ex  
rendur

(2)



Julius. mant cacodæmones ex orco; clamant, qui injuriam sustinent in terris: (a) *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* Quid mirum, si audiat has voces? si inimicos suos exurgat, & in eos exardescat? Time ergo, remotâ à te gratiâ, quia tunc propinqua tibi est justitia.

III. Nec solùm formidabilis tibi sit gratiâ à te abitus; sed ejudem ad te reditus. Audi ejudem Bernardi rationem: *nam si gratia repropitiata redierit, multò amplius timendum, ne fortè contingat recidivam pati.* Qui sæpè relabuntur in eadem, easq; mortíferas noxas: hoc habent metuere, ne non possint, in ultimo vitæ periculo, emergere è luto. Quomodo seriò volet, omnia illa esse abolita peccata, quorum propè necessitatem induxit diuturna consuetudo? Quod si dixeris te vadum non posse tranare mane? cum aqua adhuc exigua est: vesperi, cum alveus plenus est, & flumen instar maris exundat, quomodo tranare poteris? Si tibi difficile videatur, novellam adhuc vitiorum plantam eradicare; quid facies, ubi profundissimas radices egerit? Quis tibi promittere victoriam contra mille peccata, qui jam prosternebis ab unico peccato? Cassus est labor, & spes inanis; cum homo, totâ antea actâ vitâ, immanium pondere criminum jacuit suppressus, consurgere velle jam hinc exiturum, & tunc velle bene vivere, dum desinendum est vivere. Nimis, quàm verum est illud;

*Quod novæ testæ capit, inveterata sapit.*

3. DIES

(2) Psal. 67. 2



## 8. DIES JULII.

Quod est sanitas ad videndum solem, hoc est gratia ad implendam legem. *S. Augustin. contra Faust. l. 15.*

Gratia est  
lux ani-  
mæ.

I. **S**ine Dei lege, & gratiæ luce, vivimus tanquam homines fascinati, inter tot lumina, cæci; inter tot mysteria, stupidi; inter tot beneficia, ingrati; inter tot stimulos, obdurati; ad tot voces, & clamores, surdi; inter tot divinos ardores, frigidi; cæcutimus, ut noctuæ; pugnamus, ut Andabatae, palpamus in tenebris, ambulamus in laqueis, circumdamur innumeris periculis. Ubi non est lex, ibi non est lux. Necessè est, ne incedendo erres, videre SOLEM: necessè est, ne peccando pereas, implere legem: sine lege, jaces in face; sine sole, involveris nocte. Est rerum, quæ in sensus cadunt, lux facilè princeps; tam clara, ut neminem lateat; tam præstans, ut nemini hæctenus satis perspicuè pateat, sciaturque potiùs quid non sit, quàm quid sit. Est enim lux, mundi decus, cæli risus, colorum flos, hilaritas naturæ, vita rerum: gratia solis, oculorum delitiæ, Regina formarum, recreatio spiritus, Dei simulachrum, vinculum universi, admiratio sapientum, paludamentum Creatoris. Ut tenebris nihil funestius; ita & lux nihil venustius. Et tamen sic laudata lux, gratiæ tantùm est umbra.

II. Cùm necdum audita fuisset illa vox procedens



Julius.

dens à Patre luminum : (a) *Fiat lux; terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Dum non affulget lux gratiæ, homo est terra, quia nil nisi terrena sapit: est inanis, quia cùm sit cælestium inanis, & nil nisi inania meditatur; quasi nihilum, & inane reputatur coram Deo : est terra vacua, quia cùm nunquam illi vacat vacare rebus Divinis; vacua est anima ejus coram Deo: tenebræ sunt super eum, quia est filius tenebrarum : est quoque abyssus, imò in eo abyssus peccatorum, abyssum invocat miseriarum. At ubi anima audit dicentem : (b) *Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus.* Mox nihil eo formosius nihil amabilius oculis Dei, tametsi super solem lucidis, & qui totus erat tenebræ, & caligo, & nox; subito lux est : & ut filius lucis, seu radius quidam lucidus per cæli templa incedit; omnium cælestium oculos in se convertens, & ipsius adeò Regis æterni aspectus exhilarans. Si nobilissimi corporis lux est effusa participatio, quæ se in stellas, & specula, cæteraque pellucida penetrat, à Deo profecta gratia, divinam ejus, cum animis, quos subit, naturam communicat, quorum intueri speciẽ qui cupit, illuminata sole crystal- lificernat, soles planè in iis se totidem cernere affirmabit.

III. Quid vitreo speculo, atrore, ac materia, contemnendo pulchrius, ardentius, purius, cùm adversum solem repente conceperit? At hoc ludricum est circulatoris è trivio, præ majestate animæ excipientis non solum Dei imaginem, sed ipsummet cum gratia Deum; nec modo quolibet, verùm pulcherrima, & præstantissima, quæ in eo lucent, trahentis.

Ut

(a) *Gen. 1. 3.* (b) *Ephes. 5. 14.*



Ut porrò, lux, cœlestium corporum maxime afficit, gaudet iis potissimum sese ostentare, quæ habent aliquid cœleste, velut sunt ignea, & pellucida; non dissimili modo illic regnat splendidius gratia, ubi plura flammæ incendit charitas. Inter hæc verò præcipue eminet lucis in tenebras potestas tanta, ut omnes quantumvis densatas nigrore, ac immensitate fufas, momento dissipet; sed multò adhuc citiùs, multoque potentiùs peccati sæva, & feralis nox, vel tenuissimo gratiæ radio, depulsa evanescit. Sed quod pretium gratiæ maxime commendat, est, quòd Deus assumpsit carnem humanam, ut pretio sui sanguinis, hoc est, infinito, eam nobis emeret, emptam tribueret. Instituit pretiosissima, quibus comparetur, Sacramenta: sunt ad eam obtinendam, Prompta Angelorum ministeria, & intercessiones Sanctorum: totius Ecclesiæ, sponsæ Christi sollicitudo; cura, negotiatio, in eo est, ut acquiratur, & conservetur. Quot, quibusque modis ait Deus in anima, ut præparetur gratiæ? Ut autem observes Dei legem, conserva Dei gratiam, aliàs eveniet, quòd dicit Poëta:

*Exlex qui vivit, meritò sine lege peribit.*

## 9. DIES JULII.

Virtus, nullo honestamento eget? ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. *Seneca Epist. 66.*

Gratia I. **E** Ris virtute vacuus, si gratia in te fuerit vacua. Cùm hac ubi inceperis negotiari, statim ad Virtutis te manu - ducet contubernium.



Julius. nium, ut cum ea tibi frequens sit commercium: ab illa, magnum tibi accedet ornamentum; quia ipsa sibi maximum sui, nullius egens, est honestamentum. Corpus, quod inhabitat Virtus, ut demissa è cælo, & immissa à Deo, consecrat. Quid porro, & qualis sit virtus, quantumque illius sit decus, docebit te M. Aurelius, sic ipse moriturus, ad Commodum filium suum: *Virtus, est arx inexpugnabilis, amnis impervius, mare innavigabile, ignis inextinguibilis, thesaurus inexhaustus, exercitus invictus; onus, quod non fatigat explorator, qui semper redit, speculator, qui non fallitur; iter, quod non sentitur, amicus, qui semper subvenit; pharmacum, quod semper sanat; fama, quæ nunquam perit.* Hac satis ad virtutis commendationem; utinam, & ad commendatæ exercitationem. Primâ fronte terret, quia bona mens, recti conscia, vix se potest expedire à seditionis intra se affectuum motibus, & inter turbas ad perniciosâ ruentes; inter tot hostium pedicas, & insidias; inoffenso gradu, rectum virtutis iter tenere.

II. Virtutem prodes exercitio virtutis. Sellulariū suum artificum monstrant in opere; parum refert, quomodo operentur: Sutor cothurnum, sartor togam, faber tripodem, aurifex calicem, in argumentum, & gloriam sui artificii possunt ostendere, & inde se ostentare. Maxima virtutis commendatio, est actio; nescit illa feriari, quia est negotiosa. Virtus non tantum vult à nobis coli, sed vult nos se uti: illius tamen usus, non, ut cæterarum rerum, perit cum usu. Quodlibet virtutis opus, quod uno tempore semel exercuisti, habes omni tempore; hoc te ubicumque comitabitur, & rarâ fide etiam in morte, imò etiam post mortem. Quid proderunt conditi cum cadavere

Pars II.

LI

thesau-



thesauri, nisi restituere terræ, quod à suis visceribus avulsum? Defuncto nihil: solum Virtus insepulta vivat sepultos. Non est mors formidabilis iis, qui habent tauri sunt aliquid post illam: solum est terribilis iis quibus omnia, quæ habent, auferet. Virtus, est hæretas posthumæ, quàm mors non tollit, sed attollit. Necesse est, virtus sit res bona, quam laudant etiam mali imò optima; cum eam extollant etiam pessimi. Cum virtutem in aliis, qui eam præcellunt, extollimus; in nobis, dum eam excellere volumus, deprimimus? Suspiciamus justissimos, sanctissimos, fidelissimos virtutis columnos, ut alienæ à nostra speciei viros, quasi eorum actus ad nos non spectarent. Ideò laudamus, sine invidia; miramur sine imitatione, quam aut irritam, aut nobis non consentaneam censemus.

III. Sic equum à prolixo erine commendamus, at nos capillum non promittimus. Gloria illa animalis, est extraneæ naturæ, non nostræ; ideò quod in equo tribuimus laudi, in nobis contemnimus. Canes, à persecutione, & morsu feræ æstimamus: non lectum illibatum, & innocentem servamus. Negamus ad nos spectare alterius generis laudes: ita nobis extraneam virtutem putamus; colimus, non excolimus; admiramur, non imitamur. Quosdam consecrat virtus usque ad simulationem sinceram divinitatis, quasi nihil nisi divinum, aut cœleste spirarent, tanquam factitia quædam Numina. Vigor animi, majestas virtus, suada sermonis, beneficentiæ manus, in quibusdam Heroibus, quasi devinitatem quandam obiecta Barbaris. Cur, quam etiam mali suspicimus in illorum virtutem, nos ipsi despiciamus? In brutorum animalium nos naturam transmissimus, cur volumus in

vinam



Julius.

Tessera.

531

vinam? Animalium proprietates alienas contraximus; leonibus surripimus iracundiam, scaris libidinem, lupis furacitatem, accipitribus voracitatem, murænis perfidiam, formicis avaritiam, polypis simulationem, stellionibus invidiam, vulpibus fraudulentiam. Centones brutarum pecudum sumus; si imitemur vitia pecudum, cur non imitamur virtutes hominum? cur non surripimus, vel saltem in nobis exprimimus Humilitatem D. Antonii, paupertatem Francisci, charitatem Augustini, pietatem Dominici, magnanimitatem Athanasii, castitatem Aloysii? Solliciti sumus, ut fiamus ferini; at ignavi, ut divini. Quæ major ignavia, quàm magna diligentia, quàm magna omittimus bona? Qui tam es solers, ut colligas lutum, quid est tam iners, ut colligas aurum?

*Collige thesaurum, qui gemmas vincit, & aurum,  
Tollere quem nequeunt furas, nec rodere murus.*

### 10. DIES JULII.

Omnium virtutum tutela faciliior est; vitia magno coluntur. *Seneca de Ira. 6. 13.*

**Virtus vi-** I. **P**AUCIS laudavi nunquam satis  
**tio faci-** laudatam, nec laudandam Vir-  
**lior.** tutem, cujus magnitudo opi-  
nionem superat, cujus utilitas opes, cu-  
jus pretium vitam: nullo virtutem taxare pretio  
potes, quod non injustum sit, & infra ejus existimatio-  
nem. Quid, si spectes, quàm magno colueris, quàm  
caro eracris vitia? stupore deficies? Aspice pretium,  
quod imposuisti avaritiæ, voluptati, libidini, imò pen-  
nitentiæ, nocturnas vigiliis, diurnas molestias, imma-  
nes labores, incredibilia tædta, intolerabilia fastidia,

Ll a

prz-



præsentia pericula. Pudeat, majori labore parare se  
damna, quàm lucra; perniciem, quàm salutem. At-  
tende, an non sit pronius iter ad virtutes, quàm ad  
vitia? Quis tam est debilis, cui vires, quas in vitiis ex-  
erit, ad virtutes non sufficiunt? Majoribusne quis in-  
diget viribus, ut sit helluo, an, ut sit sobrius? ut sit bla-  
tero, an, ut sit taciturnus? ut sit diligēs, an, ut sit piger?  
ut sit frugi, an, ut sit nauici? ut sit honestus, an, ut sit  
nequam? Quisq; si voluerit, magistrâ experientiâ dis-  
cet, minori labore, & majori fructu fieri posse, ut  
quis sit optimus, quàm ut sit pessimus: plus enim  
animi requiritur in malo, ut sit malus, quàm vitium  
in bono, ut sit bonus. Quid mansuetudine otiosius?  
quid irâ laboriosius? Quid clementiâ remissius? quid  
lævitiâ negotiosius? Iter ad Virritis clavum adeo non  
est salebrosus, ut etiam plano audeatur.

II. Planum id fiet auctoritate Aurei Oris: (a) Con-  
sidera, si voluerit quis ulcisci quempia, quor mala patitur:  
furore repletur, ab ira discerpitur, movet innu-  
rabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur, in-  
vadit eum timor, pavor, & tremor; quomodo offendat,  
quomodo rem perficiet, & ante eum quem est injuria  
affecturus, se ipsum perdit: qui autem iram expulit, ab  
his omnibus liber est, & jure certè: hoc enim est in pe-  
testate ejus, & unversum confecit. Sed illud non stem-  
sed & opportunitate opus est, & loco, & dolo, & male-  
ficio, & armis, & machinationibus, & offensionibus, &  
adulatione, & simulatione. Vides, quàm res sit facillima,  
Virtus, difficile autem vitium? Quis tanti emat periculi  
Minori labore ascenditur ad cælum, quàm descenditur  
ad orcum. Facilius est virtutes consequi, quàm  
vitiis

(a) Chrysost. in Ps. 7.



vitii obsequi. Major est molestia, bona acquisita amittere, quam acquirere. Maximam emimus ignaviam nominiam nostram. Virtus dicitur difficilis, quia nos ad socordiam nimis sumus faciles. Lucem iniquam appellabis inaspectabilem, quod caeci illam non vident. Componamus exacte utrumque; Vitium & Virtutem, & utriusque ad ea acquirenda, labores.

III. Expendamus cum Isidoro Pelusio (qui Ursinophium ab hac opinione subduxit) (a) *utrum ex his duobus difficilior sit, sexcentos thesauros perscrutari, an praesentibus facultatibus contentum esse: diu, noctuque turpes questus; ac serviles numerare an fragilitatem amplecti, atque amare: omnes ledere, an laesis opitulari: cum legitima uxore cogredi, an alienas nuptias violare: incurabili avaritia morbo laborare, an ab huiusmodi furore liberum esse: dolos necitare, an circa fraudem commercia cum aliis habere: Tribunalibus molestiam exhibere, an quieti agere: Bona ad se nihil attinentia rapere, an etiam sua largiri: In negotiorum, ac criminum cano volutare, an a negotiis & timoribus immunum esse: De multis rebus, quaeque perfici nequeunt, in cura & sollicitudine versari, an in otio vivere: Nunquam satiari, an ne ea quidem amare, quae post satietatem etiam contumeliam accersunt: Navigare, ac naufragia pati, an in portu sedere, atque aliorum naufragia spectare: Non tantum Virtutis acquirendae, quam vitii major est facilitas, sed jucunditas. Gula enim sexcentos morbos habet appendices, dolores capitis, apoplexias, paralyses. Divitias sequuntur timores tui, invidiae alienae. Cur difficile putas consequi virtutem, quam facilius auro invenies? Non est opus contractis terrae ossibus, exsectis*

Ll 3

montium

(a) L. 2. Epist. 2, 40.



montium visceribus saxa è latebris eruere: occurrit  
 quæris? illa te quærit. Claudio itaque cum Poëta:  
*Quæras virtutem, si vis reperire salutem.*

## II. DIES JULII.

Interrogas, quid petam ex Virtute? ipsam, nihil enim  
 est melius: ipsa sui pretiū est. *Seneca de beat. vit. c.*

Virtus sui  
 est præmi-  
 um, & præ-  
 tium.

I. **N**on modò Virtus est facilis  
 sed pretiosa: ut nullum  
 majus pretium operæ, quam  
 acquirendis virtutibus omnium ac-  
 hibere operam. Unde quærenda est virtus, prope  
 virtutem; quia sui non tantum est honestamentum  
 sed pretium, imò & præmium: sicut contra, & vitium  
 sui est opprobrium, imò & supplicium; quod tamen  
 passim avidè consecretantur homines copiosè inope-  
 ingeniosè stupidi, feliciter infelices. Vide quàm sit de-  
 versa vis amoris sati ex Venere, & Virtute. Hic amari  
 do, amari beneficium intendit; ille & sibi, & amari  
 pernitiè struit. Ex amore probi oritur Virtus; ex im-  
 probi furor. Probi amor, in amicitiam, improbi in  
 dium definit: ille gratuitus; hic mercenarius: ille me-  
 sculus; hic effæminatus: ille laudem incidat, hic infæ-  
 niam provocat. Tuo nunc iudicio: uter amor pretio-  
 sior; & si in nundinis uterque venerit, pro quo licite  
 reris? quid dubitas? quidquid est pretiosum, à virtute  
 accipit suum pretium: ideò pretiosa est castimonia, ideò  
 è temperantia, ideò prudentia, quia est virtus. Itaque  
 omne, quod est pretio dignum, vel est Virtus, vel  
 spicit Virtutem. Sed quia trahit sua quemque volup-  
 tas præ virtute, voluptatis inops, accipite non à Ca-  
 tholico, sed Ethnico. Ita Seneca! (a)

(a) De vit. Beat. 6, 7.



Julius.

Tessera.

II. *Aluum quiddam est virtus, excelsum, Regale, invictum, infatigabile: voluptas, humilo, servile, imbecillum, caducum; cujus statio, ac domicilium, fornices, ac popinae sunt. Virtutem, in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosus habentem manus: voluptatem latitantem sapientis, ac tenebras captantem; circa balnea, ac sudatoria, ac loca, Adilem metuentia, mollē, enervem, mero atq; unguentis madentē, squalidā, fucatam, & medicamentis pollutam.* Sic ipse. Nos palantes per magna pericula, in majora, per omnia voluptatis praecipitia; per omnes clivos potentiae; per omnes avaritiae latebras multiplicamus vota; quærimus, quod destruimus querendo; transultando de rebus ad res, repetimus summum Bonum, unde recessimus; sed ignoramus viam, velut ebrii, domum reverti nescimus. Virtus sola via est ad vitam beatam. Quid jam causari potes, nisi difficultatem virtutis; quæ licet beatitudinis sit via, ad ipsam hanc viam, aliam nimis miseram viam esse? Erras, si miseram vocas, qua itur ad beatitudinem; sicut errares, si beatitudinem diceres viam miseriae? Quid putas, non tanti faciendam virtutem, ut per mala petatur? cur tanti fecisti malum, ut per bona peteres? O ineptiam! per falsissima bona, ad verum malum cucurristi? & per mendacia mala, ad verum bonum non ibis?

III, Ne porro, per vias invias devies, dum tendis ad Aeternitatem; quàm sit dispar via vitii & virtutis, D. Hieronymus docebit: (a) *Vide, quanta sit inter has vias separatio, quantumq; discrimen: illa, ad mortem, hac, ad vitam: illa celebratur, & teritur à multis; hac vix invenitur à paucis: illa enim vitii per consuetudinem,*

(a) Epist. 14. ad Celan. L14 quasi



quasi declivior, & mollior, & velut quibusdam amaranthi  
 floribus voluptatum, facile ad se rapit commeantibus  
 multitudinem; hac verò insueto calle virtutum tri-  
 or, atq; horridior, ab his tantū eligitur, quibus non  
 delectatio itineris cordi est, quam utilitas manser-  
 Non minus eleganter utriusq; viæ à se distantis inter-  
 vallū aperit D. Ambrosius: (a) Dna sunt via: una ius-  
 torum, altera peccatorum: una equitatis, iniquitatis  
 altera. Justorū via, angustior est; iniquorum latior: illa  
 sobrietatis angustior; hæc ebrietatis laxior, ut possit  
 pere fluctuantes. Hic libertas est cupiditatum, illic  
 virtutis injuria: hic convivium, illic jejunium; hic im-  
 perantia gaudiorum; illic perseverantia lachrymarum  
 hic saltatio; illic oratio: hic cantus dulces; illic gemitus.  
 Vide, quam viam eligas; ab ejus enim delectatione  
 pendet, ut sis inter paucos electos. Ubique sunt tenebræ,  
 in tenebris insidiæ. In loco caliginoso ne erres,  
 opus est luce, & ne illa extinguatur lucerna: (b) *La-*  
*cerna pedibus meis, verbū tuum.* Lex Dei, est lux cæli:  
 hæc sit pedibus tua lucerna. Dic ergò cum Poëta:  
*Ut melius cernam, porto de nocte lucernam.*

## 12. DIES JULII.

Semper necesse est, ut nitatur ad profectum; qui semper  
 vult vitare defectum. S. Anselmus lib. 2. epist. 37.

In virtute **I**N virtutis tramite debes ambulare  
 semper **I**n nullo tibi præfixo limite. Ubi statum  
 profici- **I**sti, nolle in via virtutis progredi  
 endum. **I**sti, nolle in via virtutis progredi  
 est: vel, ut ascendas ad collē virtutum, vel, ut descen-  
 das ad vallem vitiorum. In extremo Italiæ, columna  
 fuit

(a) In Psal. 1. (b) Psal. 118, 103.



Julius.

Tessera.

§ 37

fuit, quam Autharis, Longobardorum Rex, cuspi-  
 haste suæ tangens, dixit: *Usque huc erunt Longobar-*  
*dorum fines.* Cave unquam talem fingas in virtutis se-  
 mita columnam, cui in scribas: *Usque huc erit mihi*  
*proficiendi in virtute finis.* Piorum voluntas, nullis  
 definitur finibus, ante vitæ finem, nec ullis circum-  
 scribitur cancellis, studium proficiendi. In excelsis  
 Dei palatio, à summo Imperatore limites constituti  
 sunt. Nobis impressa sint illa Magni Caroli verba:  
*Plus ultra;* ut partis non contenti, ad nova decora  
 semper animum extimulemus, adoremque innove-  
 mus. Faciamus, quod fecisse Ethnicos Imperatores,  
 commemorat Mamertinus: [a] *Quæcumq; pulcher-*  
*rime facitis, continuo transitis, & ad majora propera-*  
*ti; ut dñ vestigia vestramur, dumq; vos adhuc es-*  
*se in cõspectu putamus; jam de vobis audiamus longin-*  
*qua miracula.* Est proprium generosi animi, sic ver-  
 tari in hoc vitæ studio; ut non prius gradum figat,  
 ut quiescat, quàm dicere possit illud inclyti in virtutis  
 curriculo Stadiodromi: [b] *Cursum consummavi.*

II. Virtutes diu, multumque expoliri debent; ut  
 gloriæ coronam, quot meritis, tot veluti gemmis  
 collucentem efficiant; nam gemmæ, teste Tertullia-  
 no, [c] *tarde teruntur, ut niteant; & subdolè substruñ-*  
*tur, ut floreat; & anxie forantur, ut pendeant.* Non  
 ut fungi subitò unâ nocte, impetuque nascuntur, &  
 fiunt; sed multo & subtili artificio indigent, ut Re-  
 giâ chlamyde, & honoratis cervicibus dignæ videan-  
 tur. In hoc debet sudare nostra industria, ut virtutum  
 gemmis sumus visendi, & meritis pretiosi. [d] Pho-

LI 5

cionis

[a] *In Panegy.* [b] *2. Tit. 4. 7.* [c] *De heb. mul. c. 6.*  
 [d] *Plutarch. l. de Music.*



cionis uxor dicere solebat; Ornatum omnem suum, & muliebrem mundum esse, mariti sui res præclaras gestas. Nos decus & gloriam nostram non debemus mutuari ab opibus, sed præclaris facinoribus; & in hoc omnem conferre operam, ut in die crescamus virtutibus. Audi divinum divini Augustini pronuntiatum: (a) *Semper adde, semper ambula, semper profice; noli retrò redire, noli deviare: remanet, qui non proficit; retrò redit, qui ad ea revolvitur. unde iam abscesserat.* Ascendit virtus, dum procedit: proficit, dum proficitur; crescit, dum progreditur; surgit, dum pergit. (b) *Quod immobile est, (ait Chrysostomus) omnino inutile est: quod verò movetur, ad multa conducit.* Sic virtus otiosa, quæ ad operam non movet, ad salutem non promovet.

III. Vacua est vita, quam non implet bene vivendi, ac proficiendi cura. Verè dixit Possidonius, unum eruditorum diem plus facere, quàm ineruditorum longissimam ætatem. Quid ni? anteferenda est una hora benè exacta; imò unum momentum, æternitati otianti. Sacra res, tempus est, è celo trahit originem motu, & conversione orbium: inde oritur, ubi æternitas viget; ad suam originem reducendum est, & in tempore quærenda Æternitas. Frustrà vivit, qui non benè; at, qui malè, pessimè moritur, mortem vitalem patitur: mors est, quia sine fructu vitæ: vitalis, quia cum damno & pena. A vite tua racemos petis: ab arvo, segetes; à campo gramina, ab arboribus fructus: cur fructum tui contempnis? carent opera tua fructibus, dum operans, non proficis virtutibus. Qui expectas fructus

[a] Serm. 15. de verb. Apost. [b] Hom. 3. in Gen



Julius. Agit animam, eujus animus nihil  
 tuus, cape prius à te. Agit animam, eujus animus nihil  
 agit. Verè Jamblichus, ex Samio Philosopho : *Omne*  
*bonum, ait, re, & usu consistit, non cognitione.* Esse bo-  
 num, est benè agere, & sic agendo proficere. Iners est  
 ars periti Medici, nisi procedat ad manum, & phar-  
 maca pellendo morbo applicet. Non curabunt lan-  
 guentem cogitationes doctæ, & scientia medendi;  
 nisi adhibeas medicamenta. Ita non sanatur animus,  
 subtilia intelligens, salutaria eloquens, sed bona benè  
 faciens, & semper proficiens. Noli igitur in virtutis  
 studio stare; sic stando cades, cadendo jacebis, ac tan-  
 dem jacendo, peribis. Hodie deficit, qui cras tantùm  
 vult proficere. Noli ergò hære, & in crastinum dif-  
 ferre, quia

*Dum repetis cras, cras, sensim dilabitur ætas.*

### 13. DIES JULII.

Si prudentia una adsit, jam continuò unà cum ea, o-  
 mnes virtutes aderunt. *Aristotel. lib. 6. Ethic. c. 12-*

Prudentia est  
 prima inter  
 virtutes mo-  
 rales.

**O**Rdior, acturus de Virtuti-  
 bus, ab illis, quæ, quia mo-  
 res excolunt, Morales vo-  
 cantur; & ab ea, quæ inter il-  
 las tenet principatum, Prudentia. Hæc nunquam in-  
 cedit solitaria; sed denso, eoque honorato, non mul-  
 tarum, sed (ut Tessera prædicta in n u it) omnium vir-  
 tutum choro circumsepta. Prudentia enim, (non illa  
 Politica humani cerebri filia, ideoque virtus spuria)  
 sed emissa cælitus, infusa divinitus, est arcana ars  
 res benè gerendi, norma salutis, lux operum, dux  
 operantium, prima lex Regni, Phosphorus justitiæ,  
 obles



obles pacis, & ut Abimiser ait, *Clavis totius milis, & vita totius spei.* Et qui ea præcellunt, sunt augures boni, auspices æqui, tenaces recti, sequestres veri, in quibus magis videtur Philosophia, quàm auditum, qui futura longè prospicit, antequam eveniant, ut tanquam de specula prævidisse videatur; qui velut alter Janus, à fronte, à tergo respicit, prospicit, & deoq; præterita cum præsentibus, & futuris confert, imò, qui non tantùm à fronte, & occipitio est oculus, ut Janus; sed centoculus, ut Argus; cui est & præsentium scientia, & præteritorum reminiscencia, & futurorum providentia.

II. Prudentiæ effigies fuit illa, quæ Israëlitis, per vasta deserti, in terram lacte, & melle fluentem, præluxit, eoque deduxit, ignea illa columna. Hæc una non tantùm ne per invia, & devia errarent à via, quæ esset eundum, suo lumine, quasi digito ostendebat, sed ut rectà irent, præcedebat. Hæc adversus solis violentiam per diem fundebat umbram; adversus lunæ rigorem, per noctem præstabat flammam. Sumus in hac vita, velut in via ad patriam peregrinam, viæ nobis terræ sunt præcipites, nunc saxis atque, nunc obductæ sentibus, nunc gurgitibus intercipit, nunc torrentibus rapidæ; ut laborare, hære, cespitare, labi, necesse sit, nisi è cælo nobis præluceat ignea illa columna, Prudentia. Hæc una est, quæ tribus gladium Judicibus, ut eo rectè utantur; falces Consulibus, ut rempublicam solerter moderentur; telum Tribunis, ut ea in hostes cautè usurpent; sceptrum Regibus, ut ditiones suas sæliciter gubernent; coronas Imperatoribus, ut summa cum gloria Imperii tractent hadenas. Hæc ignea columna

Julius.  
maximè  
tum affe  
rum, ac  
dentia ei  
domat: A  
tium irac  
pescit; p  
nes in gy  
III. U  
prudens  
ac nauta  
laerigan  
liremos  
per foro  
nator int  
diffimus  
cere; du  
vim, sin  
laboribu  
ad clavu  
sudande  
clavum  
dum alii  
liantur;  
Gubern  
commo  
coronat  
tatis por  
semper i  
Bion; U  
cellere,  
oculi pr  
man



Julius.

maximè elucet, dum per anfractuosas turbulento-  
rum affectuum semitas, velut per prærupta petra-  
rum, ac rupium, præcipites homines rapiuntur: Pru-  
dentia enim efferatos in mutuum exitium animos e-  
domat: spiritus ferociter exultantes emolit; æstuan-  
tium irarum fluctus componit, debachantes com-  
pescit; prudentia si quidem frænum est, quo homi-  
nes in gyrum modestiæ compelluntur.

III. Ut intelligas, quid agat in Republica vir  
prudens, oculos in navim, ejusque Gubernatorem,  
ac nautarum vulgus conjice. Nam cum quidam ve-  
la erigant & obliquent? alii antennas demittant, a-  
lii remos lentent, rimos obturent, malos ascendant,  
per foros excurrant, sentinam exhauriant; Guber-  
nator interim, clavo affidens in puppi, navim placi-  
dissimus moderatur; dum laborant alii, ille quies-  
cere; dum negotiantur, ille otiosi videtur. Sed ô  
vim, sine viribus admirandam! O laborem, absque  
laboribus operosum! desine mirari: plus ille facit  
ad clavum sedendo, quàm singuli quantumcumque  
sudando, laborando, currendo. Idem facit, qui ad  
clavum Reipublicæ sedet prudens Gubernator,  
dum alii in officinis operantur; alii in campo præ-  
liantur; alii in foro vociferantur: ipse velut è clavo  
Gubernator, omnes ventos observat, ad illos se ac-  
commodat. clavum vertit, donec Reipublicæ navis,  
coronata puppi, læto vectorum celesmate, in fælici-  
tatis portum provehatur. Hæc una Virtus sit tibi  
semper in oculis, quia, ut prudenter de Prudentia  
Bion; Illam, dicebat, tantò cæteris virtutibus ante-  
cellere, quantò cæteris sensibus præstaret visus. Nam  
oculi prælucent toti corpori: nec ulla est virtus absq;  
pru-



prudentia. Quomodo enim justus reddet cuique suum, nisi Prudentia commonstret, quid, cui debetur? Potes tuto incedere quoecunque calle, praeunte hac duce: cum illa, securus vadis etiam inter vades, cautus inter cautes: nunquam, illâ comitante, cades. Suffragatur mihi Poëta:

*Non de ponte cadit, qui cum prudentia vadit.*

#### 14. DIES JULII.

Prudentia, est recta ratio agendorum. *Aristotelis*  
6. *Ethic. cap. 5.*

Quid sit I. **Q**UAM paucis, quam multa Prudentia. Est primum, Recta ratio, quae est, certum & liquidum iudicium de singulis rebus, quae agenda, aut omittenda proponuntur. Hinc eruo obiectum ejus materiale, esse actiones omnes humanas, sive quae à libera hominis voluntate proficiuntur. Formale verò obiectum, est honestas obiectiva, ex actione medium inter excessum, & defectum tenente, progerminans. Quia sola honestas, est velut album, in quod collimat insomni oculo, & percipit caeci intuitu prudentia; cum circa materiam negotiatur, & ejus mediocritatem sollicitè rimatur. Est honestas & aliarum virtutum moralium obiectum formale, sed hoc discrimine, quod sit aliarum, prout est bonitas quaedam: respectu verò Prudentiae prout est veritas. Cum enim Prudentia sit virtus intellectus, necessario semper tendit in verum; idque non speculativum, sed practicum. Undè concludendum est, in thesauro illo copiosissimo virtutum moralium nullam gemmam esse pretiosiore; atque inter de



Julius. res animi Christiani, Prudentiam videri donum maximum, & pulcherrimum divinitatis.

II. Quærit Philo, cur primo loco ponatur Prudentia, ut Princeps cæterarum; quam honoris veluti causâ, hinc fortitudo, inde temperantia sequantur? Cujus rei, summo ingenio rationem excogitavit. Ait enim, tres humanæ animæ esse partes: Rationalem, in capite, ubi ratio dominatur: Irascibilem in pectore, ubi calidi ardor sanguinis cor ambit; Concupiscibilem, in inguine, quæ pars inferior est corporis, esse collocatam. Jam ergò, pro ratione partium corporis, atque ordine à Deo sapienter collocato, virtutum eximia dignitas cognoscitur. Prudentia, ut Domina Rationis, & Gubernatrix Consiliorum præsidet in capite, ut in acropoli veneranda. Fortitudo & temperantia humiliùs habitant. E tribus autem, velut in trichordo aureo fit harmonia longè suavissima, quam nominamus Justitiam; quæ quarta est virtus Cardinalis. Justum est, ut, quod est in homine præstantissimum, illud imperet; obediant verò, quæ deteriora existimantur. Ponamus igitur Rationem, moderante Prudentiâ. scepro uti, parere concupiscentiam, aliasque partes inferiores: justissimus oritur dominatus, eâdem Prudentiâ omnia dirigente; & quadriga illa per domos, urbes, provincias vehitur, convehens secum pacem, securitatem, fœlicitatem, & quandam bonorum omnium Cornucopiam,

III. Quapropter censendus est stare in ipso fœlicitatis apice, quisquis pervenerit ad culmen Prudentiæ: quia Prudentia attingit omne bonum potentia rationalis: illa potentia, gemma est intellectus,

&



& voluntatis, utraque habet pro suo objecto aliquid bonum: intellectus, verum; voluntas, honestum. Jam verò Prudentia in primis perficit voluntatem, dum illi subministrat vires, nervos, robur, ut sine luctu, faciliè; sine ignavia, promptè; sine hesitatione, firmiter in bonum suum, id est, honestum, feratur. Perficit & Intellectum, circà suum bonum, id est, verum; dum eum promptum, facilem, & expeditum reddit ad assensum certum, & in eo firmatur, ut non abducatur ad falsum. Vir igitur consummatè prudens, est summè fœlix, quia est similis felicitate, superis, qui immortalis felicitatem fruuntur: illorum enim fœlicitas in eo consistit, quod potentia rationalis, omnibus viribus. & modo perfectissimo tendat in bonum omni ex parte infinitum: Intellectus in verum: voluntas in bonum. Jam verò, nemo in hac vita nec perspicaciùs penetrat, nec firmitùs adhæret, nec clariùs intelligit verum; quod est bonum intellectus, nec faciliùs movetur, aut fortius fertur, aut sæpiùs tendit in honestum, quod est bonum voluntatis, ut vir prudens. Itaque hæc sit clausula, hæc summa omnium laudum, quæ profecti possunt pro Prudentia: hic colophon ejus commendationis: hæc coronis elogiorum ejus. Nemo in hac vita mortali fœlicior, aut perfectior viro prudente; cùm Prudentia sit complexus omnis perfectionis, compendium omnis fœlicitatis. Sed hæc fœlicitas, quæ nascitur ex Prudentia, non acquiritur stertendo, nec ludendo: quia

*Non sies prudens, si es multo tempore ludens.*



## 15. DIES JULII.

Nullus fidelior tibi ad consilium potest esse, quàm qui non tua, sed te diligit. *Gregor. lib. Registri.*

Consulta- I. **Q**uid sit Prudentia, docuit he-  
sternæ: quid agat, docebit  
hodiernæ dici Tessera. Tres  
sunt celeberrimi, Prudentiæ, quos elicit actus. Con-  
sultatio, Judicium, consultationem claudens, & Im-  
perium. Consilio stant regna, urbes, domus. Dictum  
Bianis est: *Considera, & postea rem aggredere.* Quod  
si Consultatio, actus Prudentiæ est; multo magis Ju-  
dicium, consultationem claudens: quia totus ille  
consultandi labor non tendit, nisi ad formationem  
hujus judicii proximè prælucentis voluntati, & pro-  
muntiantis de mediis ad finis consecutionem. Sed  
quia parum prodest consultare, & judicare, si judi-  
cium listat in intellectu, nec progrediatur ad opus;  
ideo ultra duos actus Consultationis, & Judicii ne-  
cesse est accedere tertium, actum Imperii, quò rectè  
judicata, mandantur executioni. Hi sunt tres illi au-  
rei hætus, magnæ illius Reginæ, quæ virtutum om-  
nium est moderatrix. Itaque prudentis animi cogita-  
tiones, & consilia debent esse in edito, veluti, loco pe-  
sita, ut in specula, & vigilia quadam contulari; quæ  
non modò ea, quæ ante pedes sunt, sed & longè distan-  
ta prospiciunt.

II. Necessariam esse in omni re majoris momen-  
ti, Consultationem, non est probandum, sed cre-  
dendum. Dubitari possit, qui sint in consilium ad-  
hibendi? In primis, si juxtà hodiernam Tesseram, is  
sit habendus inter consultores, primus, *qui diligit non*

Pars II.

M m

tua,



*tua, sed te, quis prius est consulendus, quam (a) Magni consilii Angelus? vel, ut Cyprianus interpretatur Magna cogitationis nuntius? Deus, cum vellet curam adhuc, & ex legem Synagogam divinis imbueret moribus, & excolere legibus, & monere, ut dubia in rebus ad se recurrerent, Propitiatorium fieri curavit, sive Debir, id est, oraculum, sui Numinis vel domicilio, undè consulentibus responsa daret. Eamq; ob causam, Sancta Sanctorum, Domum consilii vocabant; undè arcana promerentur consilia Numinis sanctione fusa. Delphis, Apollinem Pythium, ut commune orbis terræ oraculum posuerunt: ut Dei oratione moniti, atque instructi omnes domum compotes consilii redirent. Sit pectus tuum, velut olim apud Hebræos, Propitiatorium, in quo commoretur Magni consilii Angelus. Deum tibi semper in dandis consiliis, ex hoc propitiatorio experiris propitium. Malè tibi consulēs, si eo inconsulto, primùm te consulas. E cælo petendum est, quod in terra discernendum. Plerumq; in consultando seducitur, qui impetu ducitur.*

III. Rarè errat, qui benè deliberat: ut porò benè deliberes, liber sis, necesse est, affectuum levitate. Varia in hoc mundo, velut in amplissimo atrio proponit Deus bona, mala, mediocria, pejora, meliora, pessima, optima, omnia, humano reliquit, ut decernat, iudicio, ut eligat, arbitrio; ut exequatur, imperio. Sed prius, os Domini interroga: deinde spectandum, quid hic, aut ille vir cordatus, aliquid quando fecerit in simili negotio: quod consilium est Epicteti: (b) *Cum aliquid negotii tibi futurum est, cum aliquo*

(a) *Isai. I. (a) C, s, Enchr.*



Julius.

Tessera.

547

aliquo ex Proceribus praesertim, ipse tibi proponito, quid in ea re futurus fuisset Socrates, vel Zenon; ita fiet, ut te ratio non deficiat, quaid, quod objectum fuerit, rite administret. Tu, tibi propone Franciscum, Dominicum, Ignatium, magnos illos divinae Sapien-  
tiaè caelo haultæ interpretes. Dein seu solus, seu cum aliis consultationem instituas: pone tibi ante oculos praeterita, quæ, scilicet, in tali casu expertus es ipse, vel alii, quidnam contigerit, quem res sortita sit exitum: ac simul futura, quid expectari debeat in hac, vel altera vita. Quod si alios consulas, sint senes quibus corpus annis infirmum; ingenium sapientiâ validum sit: Adolescentum animi plerumque parum providi, iique molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur. Nec errat verbum vetus; *Consilio senum, hastas juvenum esse*. Deinde fortunâ variâ fuerint exerciti. Reverà enim; quod nocet, docet. Et appositè de se Mithridates: *(b) Mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit benè suadendi*. Denique permittenda est illis, quos consulas, libertas; ut fortiter, non obnoxie, sententias dicas: *(c) Neve* (ut acutè Tacitus) *cum fortuna potius Principis loquantur, quam cum ipso*. Qui sic consulit alios, consulit sibi: atque ita bonum consilium erit consultori optimum. Si Poëtam consulas; accipies hoc ejus responsum, velut effatum:

*Consilio factum, non pœnitet esse peractum.*

M m 2

16. DIES

*(a) Plutarch. (b) Sallus in frag. (c) Tacit. 1. Hist.*



## 16. DIES JULII.

Memoria, est vis animæ, accepta retinens, præterita repetens, elapsa recolligens. *S. Augustin. de Spiritu & Anim. c. 37.*

Memoria. I. **A** Laude Prudentiæ, ad octo ejus partes integrantes; quarum beneficio, octo Beatitudines facile consequi poterimus, oratione summa prolapsi. Hæ sunt, Memoria, Intelligentia, Doctrina, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, Cautio. Memoria est præteritorum; qualia sunt experientiæ variæ, dissimiles eventus, res benè gestæ, vel quæ ob hominum imprudentiam, & temeritatem, luctuosissimo aliquo fine terminatæ fuerunt. Quo referuntur, monita sapientum, consilia exquisita, prudentum responsa, legum voces, historiarum annales, Patrum sententiæ, præterita studia: quorum opportuna recordatio, ad Prudentiæ florem plurimum juvat. Romani veteres pinxerunt Prudentiam vultu triplici; ut quæ tria potissimum tempora, præteritum, præsens, futurum complecteretur. Ad præterita sese explicat Memoria, respiciendo; ad præsentia verò Intelligentia, inspiciendo; ad futura, Providentia, prospiciendo. Prudens itaque, præterita cogitat, præsentia ordinat, futura providet. In tria hæc tempora, vita dividitur, quod est, quod fuit, quod erit. Ex his, quod agimus, breve est; quod facturi sumus, dubium; quod egimus, certum. Homo prudens, præteritorum meminisse, agere præsentia futura cavere debet. Sed paucis hîc de memoria.



II. In Memoria, est præteritarum rerum firmum quoddam, & stabile domicilium, ac locupletissimus thesaurus, in quo ad omnem diuturnitatem tutissimè impressa, ac fidelissimè signata rerum innumerabilium vestigia, ac simulacra reconduntur, ac conservantur: quæ collapsa, cùm ex intervallo recurrunt, vim hanc Reminiscentiæ, Recordationem appellant. Accipe nunc fertilissimos fructus, velut ex cornucopia, quos Memoria profert. Quis se non modò felicem, sed propè beatum in hac vita existimaret; si in rebus incertis, cùm deliberat, in dubiis dum ambigit, in obscuris dum cœcutit, in perplexis cùm timet, haberet semper ad manum virum aliquem carum, prudentiâ excellentem, consilio præstantem; qui & obscura clarissimè elucidaret, & perplexa facillimè enodaret, & dubia certissimè explicaret: qui denique in omni eventu quid agendum esset, quid omittendum, aperiret? Parum dixi, quid, si non in Provincia, in qua vivis; non in urbe, in qua degis; non in domo, in qua habitas; sed in musæo, in quo studes; in ipsis penetralibus ædium tuarum haberes pro voto tuo concilium omnium præstantissimorum Heroum; quos tota posteritas vel admiratur propter Prudentiam, vel veneratur propter Virtutem. Si in illo concilio, cùm de rebus Medicis consuleres, Galenus, Hipocrates, Avicenna; cùm de Bellicis, Alexander, Cæsar, Hannibal; cùm de Civilibus, Plato, Cato, Solon; cùm de Philosophicis, Socrates, Pythagoras, Aristoteles; cùm de arte Oratoria, Tullius, Demosthenes, Hortensius; & ita singularum scientiarum selectissimi forent Antistites, nonne securissimam vitam agitares?



III. Quod tibi est in voto, habes in manu; tu  
 Concilium, vel potius theatrum potes Memoriae be-  
 neficio obrinere; quia, quandoquidem præteritis  
 re respondeant sequentia, cum eadem jam sit Naturæ  
 idem naturæ Auctor, eadem naturæ causa, ejusdem  
 naturæ homines, eadem Dei providentia, ex præter-  
 itis intelligemus, quid sit in præsentis opus; atque  
 deò, hinc etiam futura quis poterit providere. He-  
 sententia est D. Antonini: (a) *Qui memoria aliter  
 repetierit hominum congregationes, exercitus, ager-  
 culturas, nuptias, pacta, ortus, interitus, judiciorum  
 turbas, regnum vastitates, barbarorum gentes, fer-  
 luctas, nudinas: in summa, qui colluviem illorum,  
 ex contrariis præteritorum compositum acervum, ma-  
 tasque imperiorum mutationes revolverit; is etiam  
 futura prævidere poterit. Quippè, eandem hac habet  
 cum præteritis formam, neque alio possunt modo fieri.  
 Itaque etiam idem est, quadraginta, an decies millium  
 spatio annorum vitam humanam examines; nihil  
 nim amplius videbis. Sic ipse. Itaque vivunt bene-  
 cio Memoriae mortui; adsunt nobis absentes; pro-  
 ximi nobis sunt maximo terrarum intervallo sepa-  
 rati. Unde prudenter dixit Seneca: *Qui nihil de præ-  
 terito cogitat, vitam perdidit.* Adde, erit in vita homo  
 perditæ vitæ. Cave igitur ab iis, quæ Memoria vi-  
 debetant: quæ teste Poëta sunt hæc:*

*Ebrietas, somnus, tempus, dementia, morbus,  
 Tollunt de mentis cista, quæ noverit ista.*

(a) L. 7. n. 37.



## 17. DIES JULII.

Intelligentia est, per quam animus prospicit ea, quæ sunt. Cicero de finib.

I. **P**rudens non tantum præterita respicit, quod obtinet beneficio Memoriae, sed & præsentia inspicit, quod acquirit præsidio Intelligentiæ. Est autem Intelligentia, cognitio præsentium, & rerum, de quibus agitur, clara præceptio; sine qua præstans illud iudicium fieri nequit. Quare intelligens est, non tantum res leviter aspicere, quod & brutæ pecudes faciunt; sed inspicere, imò accuratè introspicere; quia intelligentia, est intima negotii præsentis introspectio; sive attenta, non oscitans, aliòvè aversa rerum præsentium æstimatio. Itaque vir prudens & intelligens ex apertis obscura æstimat; ex parvis magni, ex proximis remota, ex partibus tota. Hoc autem illustre fulgentis animi jubar, quo intima quæque, & abditissima Intellectui pateant, & ex recessu in aspectum prodeant; non potest ab alio, quàm à Sole Justitiæ derivari: potest tamen hæc acies Intellectus acui cote seriæ, & crebræ considerationis; sed imprimis, maximo opere laborandum est, ne istud lumen ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, animo infusum, vel sensim minuatur, vel penitè extingatur. Hoc facile cavebis; si, quanta sit dignitas Intellectus, percipias.

II. D. Chrysostomus Intellectum confert cum oculo.

(a) Quod oculus est corpori, hoc Intellectus est anime.

M m 4

Sicut

(a) In c. 6. Matth. 21.



Sicut postquam corporalium oculorum lumen extinguitur; etum est; pleraque iam membra usque officio destituta sunt: ita et mente cæcatur, innumeris malis vitæ scatebit. Qui videt, & in videndo est perspicax, centena pericula oculorum subsidio declinabit. Si hostem veam videat, declinant pedes, ne incidant; si hostem tergore videat insequentem ferro, fugit, ut mortem effugiat: paries, vel arbor ei opponitur? cavet, ne impingat: currus, vel equus ei occurrit? deflectit, ne datur. Denique plurimis, ac præsentissimis se periculis eximit, tum præsidio lucis, tum obsequio oculi. Verò, si sol occidat; si lux se subtrahit; si densæ incumbant cælo tenebræ, & opaca nox terram involvat, quoties ruet, impinget, allidetur, & tandem collidetur? Nullum ei officium possunt præstare pedes, quia nescit quò vadit; nec manus, quia ignorat, quid tangat; nec lingua, quia dubitat, quem alloquatur. Eadem, & majora incurris damna, dum animæ lucem ille Sol, deserit horizontem Intellectus, mentis occidit. Pedes intrant per viam illam latam, que ducit ad interitum; manus concinnant iniquitates, texunt aranearum telas: os bibit calicem illuminationis retricis Babylonice plenum luxuriâ, & abominabile. Hinc benè eodem loco Chrysostomus: *Quando lucerna extinguitur; quando gubernator mergitur; quando Dux ipse captivus, quæ tandem obedientiam supererit spes salutis? Ita si occidamus istum oculum, quo aliis quoque debemus lumen inferre; unde ipsi poterimus aspicere?*

III. Attende, quantus subindè error contingat in tenebris. Cleonice Byzantia Virgo, noctu ad Paulinæ Lacedæmoniorum Ducis cubiculum aliquantulum

Junius  
terius, qu  
gestans,  
offendit  
lumine  
exillit, in  
bris pot  
vit. Exi  
noctis, c  
conji  
lus luci  
conclan  
tunc sup  
luce Int  
cadas in  
et & co  
pollet il  
quidam  
nimia p  
pervacu  
dam est  
tantur v  
penetra  
cleum. I  
nium re  
quomo  
cus Am  
Quisqu  
Non p  
gust  
teri



Junius. Terius, quam constitutum erat, veniens, manu lumen gestans, quod à custodibus acceperat; cum pedem offendisset, & non sine strepitu, ad terram extincto lumine concidisset; Pausanias experrectus, è strato exiit, insidias veritus, cubiculique ostium, ut in tenebris poterat, petens, Cleonicem gladio transverberavit. Extincto lumine, extincta est vita. Debet tenebris noctis, quod tam citò diem obierit. Proximus es, ut conjiciaris in tenebras exteriores; dum desinis esse filius lucis. Dum à carnifice, reo clauduntur oculi velo conclamatum est, tunc imminet vertici gladius; nihil tunc superest, quam ut minuatur capite. Sic extinctâ luce Intelligentiæ, es in præsentissimo periculo, ne cadas in foveam. Quisquis est rationis particeps, idem est & compos Intellectus: sed non quivis Intellectus pollet illâ, de qua hîc ago, Intelligentiâ. Sunt enim quidam, qui sive ex hebetudine, & stoliditate; sive ex nimia præcipitatione, & instabilitate mentis, non pervadunt propositiones, de quibus pronuntian- dum est: hærent in earum extrema cute, non scrutantur viscera, stant solum in vestibulo, non adeunt penetralia, tangunt corticem, non perungunt ad nucleum Intellectus, ut polleat intelligentiâ, faciat omnium rerum anatomiam; videat, quid res sint, non quomodo appareant; nec fit rerum judex, qui est cæcus Amor: quia

*Quisquis amat cervam; cervam putat esse Minervã.*

## 18. DIES JULII.

Non parva pars scientiæ est; scienti conjungi. *S. August. Conc. 2. in Psal. 36.*

M m 5

I. Do-



Doçilitas. I.

**D**oçilitas, est vis animi accommodata ad plurimum rerum cognitionem, ab aliis capiendam. Non esse à gradu, & dignitate sapientis alienum, ab aliis doceri, audireque aliorum consilia; communis omnium sapientum vox est.

D. Basilins: (a) *Planè non est exigui momenti beneficium, quod à prudente, & benevolo Consule emanat consilium. Quippe, qui suo adventu supplet, quod deest prudentia, consilium de re quampiam captantibus.*

Homerus, ex hoc capite maximè putat laudandum Agamemnonem, quòd haberet apud se Nestorem, sapientiã præfulem, cujus in rebus ambiguis uti consilio posset pleno prudentiæ & felicitatis. Et sanè, sine illo consultore, nihil ad Troiam capiendam profuisset, vel ad victoriam tantam consequendam, vel Achilles animosus, vel clypeatus Ajax, vel sagittator Teucer, vel strenuus Diomedes, vel sceptro insignis Menelaus, vel callidus, & dolo Princeps Ulysses. Plus profuit illi unus Nestor suo consilio, quam obfuit omnis hostis suo exercitu. Sæpè fieri solet, ut animus, aut rerum magnitudine sollicitus, aut honoris periculi attonius, rebus ipsius indormiat, jaceatque. Verùm, cùm accedunt boni, & periti consiliorum participes, rogatis, auditisque eorum sententis, mirificè in modum mens, animusque exsuscitantur ad omnia, quæ in negotio sunt, aut cū eo cõjuncta percipienda.

II. Prodigio proximum est, quod de Lauris refert Plinius; (b) Si stipiti Lauri duo inter se committantur, & collidantur, ex attritu emicare subbit ignem. Sic ingenia Laureata, & Apolline sacro digna.

(a) *In c. 1. Isa. (b) L. 16. c. 40.*



si consilia sua conferant, lux, ardorque oriuntur, & mirum quantum ad negotium strenuè, & prudenter obeundum juvant. Plura scies, si te jungas scienti. Sed hîc opus est magnâ sagacitate in selectu eorum, quos consulēs. Qui periculosè decumbit, bulliente in venis igneo febrium ardore, non advocabit, valetudinis recuperandæ causâ, pictorem, vel sutorem, vel bubulcum; sed filios Medicorum, ipsum si potest Machaonem. Nec præfectus bellicarum regionum consulēt Medicos de insidiis, de obsidione urbium, de stratagematis, deque aliis Mavortiiis facinoribus: sed Tribunos militares, exercitatos in omni genere præliorum, triarios, emeritos, veteranos. Quis, si pretium gemmæ cognoscere cupit, carbonarium consulēt? quis, ut verum aurum ab aurichalco discernat, opilionem advocat? Sic nullâ ratione fieri potest, ut qui negotiorum est ignarus, de illis ipsius consilium suum explicet, eademque promoveat. Nullos ergo, dum deliberas, consulas, nisi earum rerum, de quibus deliberas, gnaros, scientes, peritos.

III. Nec tantùm sit, quem consulis, catus, sed probus: non tantùm sit instructus Prudentiâ, sed virtute; Justitiæ amans, & Numinis reverens. De factis, petere consilium à profano; de virtutum actionibus, à vitioso; de mansuetudine, à furioso; de fugiendis salutis impedimentis, ab eo, qui salutem ipse suam prodigit; de sobrietate, ab ebrioso, non decet, nec fieri sine periculo potest. Audiatur hîc D. Ambrosius: (a) *In acquirendis consiliis, plurimum vitæ probitas, virtutû prerogativa, benevolentia usus, fragilita-*

(a) L. 2. Offic. c. 8.



galitatis gratia spectanda est. Quis enim à cœno formidat  
 requirat? quis è turbida aqua potum petat? quis in aliena  
 causa aliena judicet, quem videt inutilem vita sua  
 quomodo eum potes judicare consilio superiorem, quem  
 videas inferiorem moribus? Supra me esse debet, cui  
 me committere paro. An verò eum idoneum putabo, qui  
 mihi det consilium, quod non dat sibi? Et cum mihi con-  
 care credam, qui sibi non vacat; cujus animum voluptas  
 occupet, libido devincat, avaritia subjuget, cupiditas  
 perturbet, quatiat metus? quomodo hic consilio loco  
 ubi nullus quieti? Itaque si optes florentem in omnibus,  
 quæ perages, successum; si velis omnia ex votis  
 nihil contra votum evenire; si cupis evitare infinita  
 quibus expositus es pericula; innumeros, per quos  
 incedis laqueos; plurimas, quibus peteris infidias,  
 quos consulis, sint non modò prudentes, & scientes,  
 sed Dei timentes, sint gnari, sed non pravi; quia

*Per pravum socium, laboris in vitium.*

## 19. DIES JULII.

Solertia, est subtilitas quædam mediis inveniendis  
 parvâ deliberatione. *S. Albertus in Post.*

Solertia. I. **S**olertia, quæ est una ex honorariis  
 Prudentiæ pedissequis, indicat promptos, & vividos animi  
 motus, atque ingenii celeritatem. Ut sicut  
 Plato laudat in cane venatico imprimis sagacem esse  
 se ad sentiendum, & promptè posse in prædam  
 incidere: sic in mente sit recta, expedita, facilis  
 eorum, quæ conveniunt, excogitatio. Hanc virtutem  
 Alcibiade fuisse volunt, quem memorant consilii, &  
 prudentiæ fuisse plenissimum. De quo *Æmilius Pro-*



Julius

Tessera.

Julius.

bis in vita sic habet, cum illum omnium insidiarum  
 praesagum ostenderet: *Erat enim, inquit, eâ sagacita-*  
*te, ut decipi non posset; praesertim, cum animum atten-*  
*deret ad cavendum.* Est itaque solertia, subita conje-  
 ctatio ex ingenii celeritate, absque multa, & diu-  
 terna antecedentium ratiocinationum discussione.  
 (a) Sunt nonnulli, qui (ut loquitur D. Augustinus)  
 intelligendum quodammodo plumbei, non nisi im-  
 proba labore, & tarda singulorum expensione per-  
 tingunt ad Prudentiæ exercitium; cum è contrâ alii,  
 quia Intellectus pernecitate vigent, & ingenii celeri-  
 tatem (ut de Julio Cæsare dixit Plinius (b) quodam  
 igne volucrem habent, longè celerius, & de fine, &  
 de mediis ad eum consequendum pronuntiant. Emi-  
 cigitur in his, laus ingenii, celeres motus, à na-  
 tura sortiti; quæ, quo major in aliquo fuerit, eo  
 major ad consummatam Prudentiam facultas sup-  
 patet.

II. Quæris jam præsidia acquirendæ illius tanto-  
 pere commendatæ Solertiæ? Nihil est, quod homi-  
 nem, tamen obtusissimam habeat mentis aciem,  
 tardi planè sit ingenii, tardique Intellectus, adeò  
 reddat ad excogitandum solertem, ad inveniendum  
 sagacem, & ad agendum expeditum, atque Amor.  
 Solertissimus est Amor, quia rei, quam expeit, obti-  
 nendæ, est validè appetens, ideò perpetuâ cogitatio-  
 ne versat rationes, & vias, quibus confici res possit;  
 eam undique contemplatur, & circumspicit, quæ il-  
 lum attingant, quæ circumstent, quæ præcurrant, quæ  
 consequantur. Inhiat omni occasione illius assequen-  
 dæ; atque crebrum ita cerebrâ specierum agitatione  
 inca-

(a) In Julian. c. 25. (b) L. 7. c. 26.



incalescit; sicut attritu, ferrum: sicque non tantum illa mentis veluti rubigo detergitur, & torpor excutitur; sed spiritus, qui in cerebro resident, quasi radii quidam lucis calidiores, ac subtiliores fiunt; alique subinde puriores procreantur. Itaque phantasia obicit Intellectui puriora, & plura phantasmata. Intellectus verò, voluntatis imperior obsequens, majori contentione applicat, investigando, quæcunque instituto serviunt; eaque pertractans, mira aliquando exprimit, atque excogitat. Hujus solertis Amoris stratagematis plena sunt Annalium monumenta, sexcentis accipe unum.

III. Egrotabat in Japonia, puella infans, quam mater infidelis, morti proximam baptizari non sinebat. Aderat unus è Patribus nostris; dolebat is, animam perire, quæ undâ unâ poterat servari. Ut servaret, usus est solertiâ: ille, observatâ in moribundi facie, maculâ, à matre petit, ut sibi potestatem faciat, ejus abluendæ; quâ impetrata, intingit partem strophiloidæ aquæ; exprimit aliquot guttas aquæ, pronuntiat tacite verba Sacramenti; atque ita non tam ablutâ facie, quàm Animâ per Baptismum, eam illicò transmittit in cælum. Habes hîc compendium acquirendæ Solertiæ, tribus tantum constat literis, duabus syllabis, verbo, AMA. Vis esse sagax, industrius, solers, AMA. Unum est ploratu dignum: quod cum duplex sit amor, sacer, & profanus; divinus, & humanus; homo fluxorum bonorum amans, sit adeò solers, & perspicax, ut videatur totus Argus: æternorum amans, sit adeò cæcus, ut videatur Polyphemus ille, in videndo, est Aquila: hic, est Noctua: ille, in perquirendis iis, quæ nocent, habet oculum Lynceus.



Julius. *Julius.* *cis*: hic, in acquirendis, quæ profunt, habet oculum  
 talpæ. O! si quis esset impensè amans Dei! quod  
 præclara media illi suggereret, pia Solertia, quibus  
 Dei gloriam propagaret, & sua merita augetet, & a-  
 liorum saluti studeret: quoties, dum in pravorum  
 hominum perversa esset societate, religioso astu sese  
 inde subduceret: quoties, dum alterius nomen à  
 maledico aliquo traduceretur, ingeniosè sermonem  
 averteret: quot peccandi occasiones, pio dolo decli-  
 naret: quot discinctos nepotes ad frugem, lau-  
 dandâ astutiâ reduceret. In istiusmodi solertibus ho-  
 minibus triumphat Amor divinus; triumphatur A-  
 mor humanus, imò vix homo: quia ille amor & est  
 cæcus, & excæcat. Liqueat id ex Poëta:

*Quisquis amat luscam, luscam putat esse venustam.*

## 20. DIES JULII.

Ratio, est affectus mentis; quæ bonum malumque  
 discernit, virtutes eligit, Deum diligit. *S. August.*  
*lib. de spir. S. ani.*

Ratio. I. **R**atio, prout est pars Pruden-  
 tiæ, est facultas ratiocinan-  
 di, & colligendi unum ex  
 alio, & componendi multa inter se, & discernen-  
 di; ut clarâ in luce ponantur, quæ connexionem  
 inter se habent, quæ discrepant, aut repugnant, quæ  
 sunt aliis meliora, ac præstantiora. Quia Pruden-  
 tia maximè nititur consultatione, & expensione  
 finium, ac collatione mediolorum. Hæ autem o-  
 mnes functiones in eo præsertim illustres sunt; qui  
 optime, & ut par est, ex uno progreditur ad aliud;  
 quid



quod est munus ratiocinantis, à quo etiam facultas  
Intellectus, dicitur Ratio. De ejus præstantia ita Ter-  
tullianus Maximus: (a) *Singulis diversa arma ad conser-  
vationem sui, natura concessit animalibus. His, unguem  
robur; illis, vim dentium; aliis, velocitatem pedum;  
aliis, acumen cornuum: aliis, venenum. Horum quædam  
dem, homini concessit nihil: nam, & nudum edidit,  
imbellem, ac debilem, robur exiguum, velocitatem  
nullam penè; volandi facultatem omnino negavit;  
tandi vix parvam indulgit. Quid ergo? occultam, quæ  
se tueri posset, quasi scintillam concessit ei, quam Me-  
tem, sive Rationem dicunt homines. Hoc uno se tueri  
hoc uno quidquid deest, refarcit: & reliqua, quæ con-  
cessa sunt corpori, explet: hoc uno singula, quibus reliqua  
qua antestant animalia, facile compensat.*

II, Imbecillitas armata ratione, perpetuò vincitur  
vincitur robustior potentia, exarmata ratione. Pe-  
sillanimitas est omnis calamitas; nihilque est, quod  
hominis animos adeò dejicit, & penitus proster-  
nit, atque miseria. Tunc enim deficient vires, enervatur  
vatur omne robur, exarmatur quasi animus, he-  
guet mens, torpet ratio; totus homo & corpus,  
& animo jacet. Tamen, si Ratio rectè suo fungatur  
munere, ac secum solerter differat; eludet homo omnia  
sævientis fortunæ tela, velut adamantina thorace munitus,  
& quasi ad saxum; ita ad firmum ejus, & immobile pectus,  
calamitatum fluctus frangentur. Deinde hæc promptè  
ratiocinandi virtus servit prudenti homini; partim pro  
scuto, quo contra invadentes se defendit; partim pro  
gladio, quo hostes ultrò invadit.

(a) *Diss. 32. p. 323.*



Julius.

Habet enim cōnuta quædam in promptu argumen-  
ta, qua quilibet suadere, vel dissuadere est expedi-  
tus. Tale erat argumentum Biantis; Hic cū rogatus  
esset à quodam, deberetnè uxorem ducere, ac vitam  
vivere cælibem? respondit: Aut uxorem pulchram  
habebis, aut deformem: si pulchram, erit communis;  
si deformem, erit tibi pœna: alterutrum autem non  
est bonum; non ergò ducenda est uxor. Sed uxorius  
aliquis adolescens, ratiocinandi peritus, facilè po-  
tuit in hostem retorquere hoc telum, dicendo: Vel  
habebo pulchram, vel turpem: si pulchram, non erit  
pœna; si turpem, non erit communis: ergò ducenda  
est uxor.

III. Quàm inconcinne fuit olim argumentatus  
ille apud D. Lucam, dives opum, ac frugum; homo  
tamen minimè frugi: (a) *Anima mea, habes multa  
bona reposita in annos plurimos. Quid inde infert? Er-  
gò, pauperes alam, ut Job? Ergò, peregrinos exci-  
piam, ut Abrahamus? Ergò, fami publicæ providebo,  
ut Joseph? Ergò, derelictos vitam, & mortuos se-  
pellam, ut Tobias? Ergò, oppressos, & viduas defen-  
dam, ut David? Nihil horum. Quid igitur? Requiesce,  
comedede, bibe, epulare.* Hæc vox est potiùs ex hara Epi-  
curi, porci grunnientis, quàm hominis ratione uten-  
tis. Ad hoc semper enitere, ut Ratio semper inter  
omnes animæ facultates obtineat principatum. Eâ  
reutn potiente; nullum in Animæ interiori politia  
est dissidium, nullus tumultus cietur, nulla gravior  
cura mentem sollicitat, nulla vis immanior eam de-  
statu detorquet: Oculi, manus, lingua continent se  
intra gyrum suæ stationis; nec longius, quàm par est,

Pars II.

N n

divagan-

(a) Luc. I. 20.



divagantur. Est igitur, tum status rectissimus, dum  
recta est ratio. At verò, cum animum pravi alicuius  
affectus truculentia rapit, & versat, & quocumque  
ei lubet, impellit: tunc Ratione è suo gradu dejecta  
mens furori, & dementiae servit, tunc Libido facit  
accendit, tunc Avaritia menti tenebras effundit  
tunc Iracundia favam exercet tyrannidem, tunc  
amor, odium, spes, metus, livor, & reliquæ pestes  
animum conficiunt: tunc animus excæcatus, cæcitate  
reddit omnes affectus. Et quid inde sequetur, nescit  
illud Poëtæ;

*Cæcus, agens cæcum, facit ipsum sternere secum.*

## 21. DIES JULII.

Prudentis est prospicere; ne frequenter eum perdat  
teat sui. *S. Ambrosius epist. 82.*

Provi-  
dentia:

I. **P**rovidentia, ad futurum pertinet; cum intenta mens, in variis  
eventus, qui possunt, aut solet  
etiam contingere, rei apparatus

hoc, aut illo modo instruendum videt; ne spes  
stretur, ne laudabili fine suo careat. Itaque sine  
videntia, nec præcipitia videntur, nec apparet  
tus boni eventus, quo cymba negotiorum, turo,  
molli appulsu dirigatur: & coguntur multi,  
acroama imprudentium ore invito ejicere. (a) *De*  
*putabam, scitè D. Ambrosius: Fortis viri est,*  
*dissimulare, cum aliquid immineat: sed prætere-*  
*tanquam explorare de specula quadam mentis, &*  
*viare cogitatione provida de rebus futuris, ne*  
*dicat postea: Ideo in ista incidi, quia non arbitror*  
*posse evenire. Hic igitur, Providentiæ fructus*  
(a) *l. 1. Offic. c. 38.*



Julius

Tessera.

uberrimus; quòd mala prævidendo, si non evitet, certè minuat. Providus fuit Diogenes, & maxima, quam ex stoicæ Philosophiæ arcanis præceptis hauit, scientia, fuit providentia. Unde interrogatus, quid in Philosophia didicisset, respondit: *Providere adversa, & cum advenerint, patienter ferre*, Nam, ut sapienter Seneca; (a) *Quæ multò ante prævisa sunt, languidiùs incurrunnt*. Itaque viri prudentes, continuo sunt quasi in specula, unde futura prospectent. Hinc Tullius de se, aliisque senatoribus ait: (a) *Idcirco in hac custodiat, tanquã in specula collocati sumus*.

II. Vos igitur, qui in specula domus, ut œconomi; in specula urbis, ut consules; in specula Magistratus, ut tenatores; in specula Reipublicæ, ut Præsides; in specula Provinciæ, ut Gubernatores excubatis, ut possitis omnibus impendentibus periculis prospicere, si velitis speculatoris munere cum fructu & plausu fungi, necesse est, Providentiæ virtute præcellatis. Nee tantum in publicis, sed in privatis quoque negotiis virtutem suam explicat Providentia. Hinc Salomon, doctâ, & symbolicâ sententiâ docuit: (a) *Sapientis oculi in capite ejus*. Caput vocat, quod est princeps, & præcipuum in opere. Quare hoc axioma sic illustrat Cajetanus: Vident sapientis oculi, caput, id est, principium operis, qui finis est, & quod sequitur, med' congrua, in quo, prudentia potissimum elucet. (d) D. Hieronymus per caput, Christum intelligit, in quo fixi oculi sapientis perpetuò hæreant, quæ unû operis ducè, & auctorem sequatur, ne contemplatione futilliu, & humiliû rerû; susceptæ à se actiones maculètur,

N n 2

Nam

(a) *Consol. ad Marc. c. 9.* (b) *Philip. 3.* (c) *Eccl. 2. 14. In. 2. 6. Eccl.* (d) *In. 6. 2. Eccl.*



Nam, qui ad lucrum, aut corporis lenocinia, et pompam gloriosæ ambitionis, & alia sceleris instrumenta, convertunt aciem luminum suorum, in calcaneis habere oculos, non in capite monet Gregorius Nyssenus: Illi oculi, terram continuò lambentes, spectantes solùm præsentia; non possunt imminere pericula, adeoque nec futura incommoda prævidere, nec cavere.

III. Filii lucis, oculum Providentiæ explicant, potissimum ad novissima, consilio Magni illius Legislatoris: (a) *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Qui hîc dignitate, gloriâ, opibus sunt primi; in alterâ vitâ sunt novissimi; quia in hac non provident, nec prævident novissima. Dæmon improbissimè fatagit impedire, ne quis oculos conticiat in novissima; ideoque illum Providentiæ oculum, qui se explicat, vel ad sepulchreta, ut mortem, vel ad vallem Josaphat, ut Judicium extremum; vel ad Orcum, ut supplicia; vel ad cælum, ut æternam contempletur præmia, excacare conatur. (b) *Rebatur Plinius, Getulum Pastorem, sub Claudio Cætare, occurrenti in se leoni pallium injecisse; eoque facto non potuisse leonem, & trepidum substitisse, eodemque spectaculo in arenam deducto, deprehensum fuisse vim omnem leoni in oculis esse, quibus ligatis, super eam illam belluam fieri imbellem, ac jugum pati.* Non fugit dæmonem, quanta sit vis in oculo Providentiæ, dum ad novissima extenditur; tunc homo velut Leo confidens, ad nullius calamitatis periculum occursum; tunc insurgit magno nisu versus obstantes hostes, leone ferocior. Quid igitur agit dæmon?

[a] *Dent. 32.* [b] *1.8.c.16.*



Julius.

Tessera.

363

mon: nititur velare oculum istum, ut novissimorum  
eximat intuitum: sic enim facilè hunc leonem torpe-  
re, capi, ligari, & jugum subire. Sæpiùs igitur conver-  
te oculorum lumina ad mortuorum funera: & audi  
Pœtam, ut sis providus, consulentem provide:

*Disce quid es, quid eris; memor esto, quod morieris*

## 22. DIES JULII.

Speculator in alto debet stare per vitam, ut possit  
prodesse per Providentiam. *S. Gregor. Homil. 11.*

Circum- I. **C**ircumspectio, est accurata o-  
spectio. mniùm circumstantiam per-  
lustratio, quæ rem afficiunt,  
& cum ea conjunguntur: ut in hominibus ætas,  
opes, imperium, vires, dignitas, & id genus alia  
considerentur; atque in ipsis rebus tempus, locus,  
& similia; quæ nisi cum animo reputentur, & in-  
telligantur; vix Prudentia id præstabile, virtutum  
medium invenire poterit, in quo tamen exquirendo  
laborat. Est igitur proprium munus Circumspe-  
ctionis, metiri res, actionesque, & quid sectandum,  
quid fugiendum, quid prodesse, quid obesse, quid  
commodi oriri possit, vel incommodi, circumspi-  
cere. Nihil nos adeò, ut circumspecti simus, adhor-  
tari debet, quàm innumera, quæ nos undique cir-  
cumfident pericula, qui oppugnant hostes, quæ ob-  
vallant mala, qui nobis structi sunt laquei. Quare id  
quique sibi, quod olim Ezechieli à Deo dictum, per-  
suadet: [a] *Speculatorem dedi te domui Israel.* Spe-  
culatoris est, esse in editissimo urbis loco, in sublimi  
fastigio, in excelsa specula. Speculator non jacet in

[a] *Ezech. 3. 17.*

N a 3

valle



valle montis; sed stat in culmine turris. Deinde spectatoris est si velit suos numeros absolvere: non tantum prospicere, quæ antè sunt; nec respicere, quæ retrò; nec suscipere, quæ infrà; nec aspicere, quæ dextris, vel sinistris sunt; sed oportet eum, in oculatissimi Argi, circumspicere.

II. Dum civitas aliqua, circumfidentium militum coronâ, in toto ambitu obvallatur; si nunquam, tum profectò debet urbis Gubernator esse circumspicere, ne quis hosti uspiam pateat in urbem aditus. Quid est homo, nisi quasi quædam in Orbe urbs? sic dicitur Isaias; (a) *Vocaberis civitas justæ, urbs fidelis*. Sed quàm sit hæc civitas parum munita, quàm sint fragilia ejus præsidia, quàm vitiosa mœnia, quàm materiati muri, docebimur oraculo Jobi: (a) *Murus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum circuitu*. Sed quomodo plasmaverunt? Memineris queso, quod sicut lutum feceris me. Nonne sic lutum mulisti me, & sicut caseum me coagulasti. Pelle & nervibus vestitisti me, ossibus & nervis compegisti me. Qualis civitas? quæ mœnia? ex luto, quod baculus penetres? ex lacte, quod infantes exsugant? ex caseo, quem mures corrodant? ex pelle, quam scalpellum discindas? ex carnibus, quas vermes consumant? Quæ urbs, vel muris infirmior? vel propugnaculo debilior? vel munimentis fragilior? Hæc tamen civitas ex luto, lacte, caseo, carne, nervis, coagulata potius, quàm conflata, noctes, diesque obsidetur, & à validissimis hostibus, quos timent omnes, etiam qui timentur, sine missione oppugnatur.

III. Dum tu dormiendo quiescis; dæmon cuniculæ

[a] *Isa. 1. 26.* [b] *Job. 10. 10.*



Julius. Julius. Julius.  
 los agit: dum tu te effundis in delicias; ille tibi struit  
 infidias: dum tu segnis oscitas; ille classicum canit:  
 scalas admovet & nunc oculis, nunc auribus, jam  
 moribus, jam faucibus: dum assides mensæ, teque  
 ingurgitas, occulit se in lancibus, ut unà cum ferculis  
 se insinuet in stomachum: dum vacas exhauriendis  
 cantharis, mergit se in vino, ut per fauces influat in  
 venas. Singula, quæ ad corporis officium numeras  
 membra, sunt totidem hostis tui, quibus te infestat,  
 arma. Circumspice, & nusquam non videbis vel ho-  
 stes, qui te oppugnent; vel arma, quibus possis op-  
 pugnat. Quidquid Deus tibi concessit ad salutem,  
 hostis tuus confertit ad tui perniciem. Sol ortus ra-  
 dios suos exerit? Prodis in publicum: ut vel videaris,  
 a quibus videri, est arrogantia; vel ut videas; quæ vi-  
 cisse, est luxuria. Ita per ipsam lucem solis obfuscat  
 ubar mentis, & in luce facit te filium tenebrarum.  
 Sol occidit? non tua cum sole occidit iracundia, ori-  
 tur lascivia. Obvium habes in plateis amicum? blan-  
 diris. Occurris iniunico? irasceris. Vides pauperem?  
 despicias, divitem? invides, mulierem? concupiscis,  
 quam ergò oportet te esse circumspectum, ubi tot te  
 circumstant pereundi pericula? ubi non sit punctum  
 loci, in quo non sit hostis, qui oppugnet? ubi non  
 sit momentum temporis, quo non oppugneris?  
 Nunquam hic est securus, ubi semper ad radicem  
 ponitur securis. Satis est, ut semper caveas, paveas,  
 posse cadere.

*Non stat securus; qui protinus est ruiturus.*



## 23. DIES JULII.

Nullum vitium, a pertâ fronte in medium prodit  
 si mutuum prius à virtute vultum acceperit, S  
*Etus Chrysostomus Homil. de virt. & vit.*

**Cautio. I.** **A** Gmen claudit inter honora  
 Prudentiæ pedissequas, Ca  
 tio. Hæc omnia respicit, q  
 vel per se mala sunt, & fugienda; vel in opportu  
 vel etiam impedire possunt, quo minus quæ con  
 tit, ratio recta sequatur. Magnum planè momentu  
 habet in persequendis bonis, cautio malorum. Se  
 per qui obstat virtuti, considerandum est, ne  
 unico totus labor pereat. Cautionibus plena  
 syngraphæ, & contractus; ne fraus subrepat,  
 rebus fortunæ nemo decipi cupit: in rebus salu  
 nemo non decipi propè ambit. Ratio præcipua  
 tanta sit ubique adhibenda cautio, hæc est, q  
 mundus, & omnia, quæ sunt mundi, infinitu  
 noxa sint fraudibus. Nullum propè est inco  
 modum, cujus pellendi non sit aliquod præsidiu  
 Si nos urit Sol, umbræ succedimus: si iter confice  
 est labor, equis vehimur: si mare trajiciendum, co  
 scendimus navem: si frigore algemus, in prom  
 est focus: si sitis molesta, potu extinguimus  
 imbres, ad tecta confugimus: si contagione loc  
 aliquis infestetur, alio migramus, ubique possunt  
 adversus nocentia, fragilitatem nostram munire  
 quodnam adversus mundi insidias, pedicas, dol  
 remedium, ut illa fugiamus, ne illa incau  
 mus?



II. Remedia laborum, quæ mundus exhibet, ipsis profectò laboribus laboriosiora sunt: instar cauteriorum, quæ plagas non sanant, carnes exustas relinquunt. Frustrà mihi quisquam blanditur remedio, cuius patior tormenta. Malorum, quæ mundus suggerit remedia, sunt majorum malorum germina. Ubi nobis suadet, ut ulciscamur aliquam contumeliam: id agit, ut in ulciscenda illa, sexcentas alias recipiamus contumelias: Si offert gloriam, illà ipsà refert ignominiam: si obtrudit lautos cibos, immittit multos morbos. Quidni hîc accommodaverim illud Tullii; (a) *Urbem proditis, dum Castella defenditis.* Sic perfide munde: dum nos suaviter lactas, crudeliter necas. Esto igitur cautus, si vis tot inter insidias esse tutus. Satius est benè timere, quam malè fidere. Mundus periculosior est blandus, quàm sævus. Etiam cum cavisse ratus, sæpè cautor captus est. Et necesse est caducis lapsibus elidatur, qui viam lubricam tenuit. Igitur, si sapias, mundum contemnendo, calcas quo, cum diligeris, calcaris. Tantò magis deseris Christum, quantò magis diligis, quod improbat Christus. Quanta dementia id velle; quod & nocuerit semper, & noceat? Vis paucis causam, cur cautum te esse oporteat, ne in mundo decipiaris à mundo? expende verba Augustini: (b) *Nemo in hac vita habuit gaudium, sine mœrore: pacem, sine discordia: quietem, sine metu: lumen, sine tenebris: panem, sine dolore: risum, sine fletu.*

III. Altera causa cur nos cautos esse oporteat est; quod tanta sit inter bona & mala vicinitas; inter vitia & virtutes affinitas, ut nihil sit difficilius, quàm

N n 5

alte

[a] De Divinat. 2. [b] Ser. ad frat. in erem. serm. 31.



alterum ab altero secernere. Ex porro, caligine nostra, vitii pro virtute, malique in locum boni se obtrudentis, fallaci specie profectum, ait Nazianzenus, ut homines in nominibus quoque aberrent, dicantque malum bonum, & bonum malum: (a) *Morosem ait, constantia, & gravitati, fastus nomen imponitur fortem, temerarium appellant: prudentem, & circum spectum, timidum: temperantem, agrestem, & inhumanum: justum, asperum, & contumacem.* Cùm itaque tam sint vicina vitia, & virtutes: quis non videt casu telâ hîc opus esse? ne amplectamur pro Gratia fortunam: ne bonum apparens, pro vero malo admittamus. Quàm cautè ambulat, qui incedit per vias spinis undique horrentes, ne indè cruentus redeat. Dicit Bernardus exponens illa verba. (b) *Sicut liliam inter spinas! O candens liliam! O tener & delicate flor! Increduli, & subversores sunt tecum. Vide quomodo caute ambules inter spinas: plenus est mundus spinis: in terra sunt, in aère sunt, in carne tua sunt: versari in his minimè ladi; Divina potentia est, non virtutis.* Hîc opus fugâ, vel cautelâ:

*Tutiùs est vere, morsum fugiendo cavere;  
Quàm propè serpentem, procumbere virus habentem.*

## 24. DIES JULII.

Qui fit nimium justus, ipso nimio fit injustus. *S. Augustin. Tract. 95. in Joan.*

Nihil nimis: I. **E**Xpositis Prudentiæ partibus, propono quædam ejus precepta, variis acquirendis virtutibus. Primum, sit illud breviter quidem

(a) *Orat. 20. (b) ser. 48. in Cant.*



Julius.

quidem verbis, sed plenum reconditis sensibus: *Nihil nimis*. Hoc est effatum; quod ipsa quasi Prudentia, ore magno sapientis distasse videtur. Latè patet illius vis, & promanat ad multa, & frænos, quodam modo nobis in manu ponit, ut summâ animi æquitate omnia moderemur, nihilque nimium urgerè velimus. Magnus è Græcia Poëta describit (a) Nestorem Antilocho filio prudentiæ monita suggerentem, ut in circuli certamine potiatur victoriâ, commendatq; imprimis; ut *nimum* vitet. Ita in honorato hujus vitæ circo: si nimium stringis, in metas incurris, rotisq; everfis, naufragium inducis, si nimium laxes; ad Euripum abis, & longiori circumductione volitans, linguis æmulo victoriam. Quare pro Nestore Poëtico, nos illam Ecclesiastici vocem, quasi Dei circumferamus: (b) *Noli nimius esse, ne forte offendas*. Absit à dictis, exuberans hyperbole; ab animi affectionibus, immoderatio; ab agendo, præcipitatio, à contentione, violentia, à severitate, rigor, à summo jure, injuria. Verbo: fuge *Nimum*.

II. Alioquin, & Religio desinere posset in superstitionem, & constantis animi robur, in pertinaciam, & tristitia, in desperationem. Periret magnis virtutibus, suus decor; animo quies conscientia; tranquillitas, benefactis meritum, beneficientibus præmium. Si de rebus alienis prædicas, ne nimium attollas, ne blandus & leviculus adulator, neq; deprimas, ne invidus & inimicus videare. Ama illos, quos tuâ benevolentia dignos judicabis, sed cave *nimum*, ne in motus animi turbulentos, & insaniam rapiaris. In arguendo si nimium instas, dum medicinam adha-

(a) *Ænliad.* 23. (b) *Eccl.* 31.20.



adhibere vis, plagam inducit graviolem, è qua  
 lans deinde cruor in pus vertat, tibeatque in pectus  
 & memoriam oblideat iracundiæ seminarium, atque  
 odii diuturni futurum. Quid Justitiâ pulchrius  
 quam Aristoteles cum Hespero componit, stellâ  
 nium amabilissimâ, cujus tamen conspicuus fulgor  
 Justitiæ splendore vincitur. Absque illa, in chaos  
 antiquum, & fœdissimam omnium rerum confusio-  
 nem, pulcherrima hæc rerum machina recideret  
 cum velut aureâ catenâ cœlum terræ, Divina huma-  
 nis connectat, & ordine suo contineat. Ecclesiasticus  
 clamat: (a) *Noli esse justus multum*, vel ut alii vertant  
*Nimum*. Adeò illud nimium, omnium rerum verum  
 statem devenustat, elegantiam deformat. Quare,  
 sapiens, Nimum fugiens, directam Prudentiæ viam  
 tenebris, & placido omnium rerum cursu perfus-  
 ctus, dices; *Mediam tenere beati*.

III. Adagium per vetustum est: *A Dorio cantu ad  
 Phrygiû ire*. Quod de iis dicitur, qui in re aliqua mo-  
 diocritatis transiliunt septa, & ab uno extremo  
 tim ad aliud eunt: & qui faciunt omnia ultra mo-  
 dum, dum nullâ in re servant modum: nec intrâ mo-  
 dii cancellos consistunt? cum à vitæ genere modesto,  
 & æquabili ad immoderatum degenerant, & à mo-  
 destia transeunt ad intemperantiam. Moderatum  
 nim, & grave erat genus Musicæ Dorium, incitari-  
 simum Phrygium. De hoc modo admodum appo-  
 sitè Petrus Abbas Cellensis: (b) *Non tam quatenus  
 perveneris, pensare debes; quam quò pergendum, &  
 peregrinationis meta figenda, atque trahendus furi-  
 culus. Ne tamẽ nimis extendas, & protendas furica-*

(a) Eccl. 7. 17. (b) l. 5. ep. 3.



*am, caverupturum: Melius enim est tendere, quam  
 rumpere. Est modus in rebus: Ne quid nimis. An invi-  
 deo, quia citò, & benè curris? Nequaquam; amo cur-  
 sum, sed timeo defectum. Virtutes non benè colligit, qui  
 matrem virtutum spernit: à stirpe virtutum degenerat  
 virius, quæ lineam temperantia non servat. Jejuna,  
 sed non ut palpites, & respirare vix possis; accumbe  
 mensæ, sed non ut succumbas gulæ; impallesce char-  
 nis, sed non ut affligaris morbis: vaca precibus, sed  
 non ut deficias viribus: in cumbe in studium, sed non  
 ut frangas cerebrum: enitere ad perfectionis fasti-  
 gium, sed non postea cadas in præcipitium. Declina  
 à dextrâ excessus, & à sinistra defectus: medio tutissi-  
 mus ibis. Suscipe tanquam sacrum Apollinis axioma,  
 hoc Poëma:*

*Prævalet in cunctis, discreta modestia punctis.*

## 25. DIES JULII.

Remotâ Justitiâ, quid sunt Regna, nisi magna latro-  
 cinia? *Sanctus Augustinus lib. 14. de Civit.*

Justitia. I. **P**rudencia nunquam incedit soli-  
 taria; eam, vel præcedunt, vel  
 comitantur, vel subsequuntur  
 aliz virtutes. Has inter familiam ducit Justitia;  
 quæ remotâ, nulla stare potest vel Respublica, vel  
 privata familia. Democritus dicebat, duos esse  
 Deos, qui res universas gubernarent. Præmium  
 & supplicium. Utrumque munus est Justitiæ; quæ  
 probis præmia, impigis infligit supplicia. Hoc ul-  
 timum non tantum est utile, sed necessarium. Nisi  
 enim parètur erroribus flagra, blasphemis forcipes,  
 perjuris equulei, hæreticis ignes, homicidis gladii,  
 furibus



furibus cruces, seditiosis carceres: plures essent in civitate fures, in semitis grassatores, in sylvis prædones, ubique homicidæ, quàm in nemoribus belluæ. Maximilianus Imperator, triplici spectaculo fertur delectari solitus. Primò, conspiciendo campum, copiis militaribus instructum. Secundò, Chorùm refectum Monachis. Tertiò, patibulum plenum furibus. Primùm, Urbes tutari dicitans: Secundùm, Religionem: Tertiùm, Justitiam.

II. Sine hac, Regna forent omnium præda. Tot enim sunt passim malefici, & tot committuntur maleficia: ut si in crucem agendi forent, quicunque coram tribunali, Divinæ id merentur Justitiæ, defuturi videantur & carnifices, à quibus supplicio afficerentur, & cruces, quibus affigerentur. Tot enim deberent esse cruces, quot sunt ferè arbores. Scitè Macrobius: (a) *Sine Justitia, nec exiguus hominum cæcus, imò ne domus quidem parva constabit.* Rectè, quia si noxii nihil timerent, innocentes semper perirent. Hic igitur duo, sunt Reipublicæ polii, præmium, & pœna. Licet pulcherrimū sui præmium & pretium, ipsa sibi sit virtus: tamen pœnitent multos gratis esse bonos: vix est, qui credat grandem sui mercedem esse virtutem: quare appendice aliâ, præmio, necesse est provocari mortales. Adjicienda est mercedi sua soror pœna. Multitudo non rationi pareret, nec necessitati: minorem sensum honoris habet, quàm doloris. Quare improbi, velut jumenta, afficiendi sunt ictu, aut metu: & quos pudor innocens non ultrò cruentat: timor severus invitos consernat. Intremus scholam, in qua Magister non adest:

[a] *Sum. 1. 8.*



Julius. quanti ibi clamores? quantæ insolentiæ? Spectemus exercitum sine disciplina militari: quæ non confusio, quæ non licentia, & immanitas? Intueamur Rempublicam, in qua nemo suspenditur, nullus agitur in rotam, nemo capite plectitur, nullus carcerem metuit: an non ibi omnia furtis, rapinis, homicidiis scatent? Ita si in mundo desit Justitia; virtutes exulant, clavum tenent vitia.

III. Utinam quilibet Princeps Catholicus tam foret æqui tenax, ac Imperator Ethnicus Trajanus. Is Justitiæ non tantum, ne in suo periret imperio, conservandæ; sed ut floreret, observandæ fuit studiosus, ut aliquando enseni strictum Præfecto urbi in conspectu omnium dederit, dixitque: *Capere ferum hoc, & si quidem Imperium rectè gesserò, pro me; sin aliter, contra me hoc utere.* Succedat Gentili Princeps Christianus. Cùm Fridericus Imperator. Hungariæ, ac Bohemiæ Regem educaret, non defuerunt, qui perdendum suaderent puerum; cujus vita ingentes molestias Cæsari, mors Regna, & maximas opes esset allatura. Ad quos ille: *Ergò me opulentum magis Regem, quàm piùm, quàm justum cupitis? ne ego justitiam, bonumq; nomen, divitiis, cunctisq; rebus antepono.* Quisquis cupit in leges Justitiæ jurare, eo sit animo, quo Cleon, qui cum Reipublicæ administrationem capesseret, testatus est se jam omnium amicitiarum vincula velle solvere: quod amici plerumque obstant, ne liceat ubique rectum tenere clavum. Quod si amicus quid petat, quod Justitiæ repugnat legibus, reponat, quod Rutilius, qui amico cui dam, rem injustam petenti, pernegabat: cumque is commotus per summam indignationem diceret:

Quid



Quid ergò mihi opus est tuâ amicitia si quæ abs te rogo, non facis, Imò, inquit Rutilius: Quid mihi opus est tuâ amicitia; si me urgere cupis, ut in Justitiâ leges, tuâ causâ peccem? Itaque, nunquam statetam transgrediaris: quia

*Cui lanx longinqua est, sunt illi damna propinqua*

## 26. DIES JULII.

Elige; postea dilige. *Seneca epist. 3. ad Lucil.*

**Amicitia. I.** **H**æc Tessera non tam est sapientia præceptum, quam veritatis effatum. Amicus non tantum debet esse dilectus, sed è millibus electus. Sub aquilis Justitiæ militat, ut aliæ plures virtutes, sic & Amicitia. Maximum humanorum bonorum, amicus sine delectu non est admittendus. Sub aquilis Justitiæ militat, ut aliæ plures virtutes, sic & Amicitia. Maximum humanorum bonorum, amicus sine delectu non est admittendus, non casu, nec temerè, sed consilio, & maturè parandus est. Ne adulterinam habeamus gemmam, sine periculo, & jurejurando, aut vadimonio non emitur, cum idem, & ornatui, & aspectui officium præstet genuina & adulterina. Cur sine delectu, & experimento amicus, qui non alio ære quam amore emitur? qui tantum potest, nocere falsus, quam prodesse verus. Amicitia sydus, sola est virtus; sine ea, est virus. Digni sunt amicitia, quibus in ipsa fuerit causa, cur diligantur. Amoris artificium, est copulantis animos, conflantis, scilicet, ex duobus unum. Hæc vera amicitia est, cum extra se agitata mens amantis, in amatum transfunditur, cum amicus



Julius. mus est, ubi amat non ubi animat; cum amans fit al-  
 ter, & alter fit ipse, & ipse per alterum, in seipsum re-  
 dit; altero per alterum, & in altero vivente. Pulchrè  
 Gregorius Nazianzenus de sua amicitia, cum Ma-  
 gno Basilio, dixit: (a) *Aberat invidia, solà emulatio-  
 ne flagrabamus. Hoc utique certamen, non uter pri-  
 mus ferret; sed uter alteri primas cederet. Quia utri-  
 que una anima videbatur in duobus corporibus.*

Lucil. II. Nisi velis dissentire cum Veritate, assentire  
 Anacharsi dicenti: *Præstare, unicum habere amicum  
 multi pretii, quàm multos nullius.* Nec enim aquâ, nec  
 Sole, nec igni, pluribus locis utimur, quàm amico. In  
 omni actu, in studio, in certis, in dubiis; in quolibet  
 eventu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico,  
 in omni consolatione, domi, forisque, ubique amici-  
 tia grata, amicus necessarius, utilis gratia reperitur.  
 Quocirca amici, ait Tullius, & absentes adsunt sibi,  
 & egentes abundant, & imbecilles valent: & quod  
 difficilius est dictu, mortui vivunt. Igitur, amicitia  
 est divitibus pro eleemosyna; exulibus, pro patria;  
 pauperibus, pro censu; ægrotis, pro medicinâ; mor-  
 tuis, pro vita: sanis, pro gratiâ: imbecilibus, pro vir-  
 tute; robustis, pro præmio. Qui multos habet ami-  
 cos, perinde est, ac si multis manibus, pedibus, oculis  
 esset præditus: imò, ac si multus esset, geminus, tri-  
 plex scilicet, quotquot veri illi sunt amici. Briareus,  
 centum manibus, Argus, centum oculis, Darius,  
 centum Regnis, non ita felix, ac amicus fidei amico.  
 Unde scitè dixit Dion Philosophus: Quot amicos  
 parâris, tot oculos habes, quibus, quæ velis, videas:  
 tot aures, quibus, quæ decet, audias; tot consilia,

Pars II.

Oo

qui-

(a) Orat. in laud. Basilii.



quibus de iis, quæ conducunt, consultare, & perspicere possis. Non enim se aliter habet plurimum amicitia, quam si cui Deus unum corpus haberet, multas daret animas, quæ omnes illi providerent, consulerent.

III. Quæ calamitas, extra amicitiam, non intolerabilis? quæ prosperitas, remotâ amicitia, delectabilis? Eum justè miserrimum judica qui in miseriam multos habet, qui latentur; in rebus autem jucundis qui delectetur, neminem. Hinc verè Augustinus (a) *Non est validior vulneribus nostris medicina, quam habere, qui in omni incommodo occurrat compatitur, in omni commodo occurrat gratulans, ut junctis suis vulneribus, onera sua invicem tolerant.* Amicum quidem diligas, plus tamen diligas. Sic Alexander Magnus inter amicos, quos habebat præcipuos, ac potentissimos, omnium maximè videbatur honorare Craterum: sed omnium maximè diligere Hephæstionem. Craterus enim, inquit, amat Regem; Hephæstion amat Alexandrum. Sentiens Craterum in rebus quæ ad Regiam dignitatem attinebant, præstare se Regem amicum: Hephæstionem, privato quodammodo affectu diligere Alexandrum. Est adagium inter Hebræos: (b) *Adjannam tabernæ, multi fratres & amici. Sed in prosperitate, ingens est amicorum multitudo; in adversitate est solitudo.* Illi sunt amici ollarii, pariter qui temporarij serviunt. Ideò verò veriùs, est illud verum multorum ore adagium: *Amicus diu queritur: vix invenitur: difficile servatur.* Hinc solent

(a) Aug. l. de amicitia. (b) Joay. Plantavillæ Rabbiniço florileg.



Julius. virtus, amicorum tessera, quâ in pectorum admittuntur hospitia. Qui aliquid diligit in amico, præter amicum, non est amicus, sed negotiator, & mercator: sua quærit in amico, non amicum. Quapropter infideat illud animo, tanquam certum Sibyllæ folium, aut cœlestis cortinæ responsum:

*Verus amicus erit, qui plus me, quàm mea querit,*

## 27. DIES JULII.

Horis terribiliter personet increpatio; intus lenitatis teneatur dilectio. *Sanctus August. serm. 18. de verb. Dom.*

Corre- I. Nter actus amicitia, recensetur correctio fraterna. Nec enim sincerè diligit, qui fratrem peccantem negligit, errantem non corripit. Quis non admiretur, imò & indignetur, eorum, quæ ad corpus spectant, licet sint minima, maximam gerentem: eorum, quæ ad animam, licet sint maxima, penitus nullam. Sit in fronte nævus, in genis labellula, in vultu macula; illam vel ipsimet delemus, vel ut alter debeat, admonemus. Et interim; tota proximitui anima, non est sæpè, nisi una macula: tota, utpote, vitis sordida: quis illius maculas, corripiendo conatur expungere? Committat quis loquendo sollicitum, admonebitur peccasse contra Priscianum. Committat quis vivendo etiam Barbarismum, nemo loquitur, omnes conticescunt. Expendit D. Chrysostomus illud Dei præceptum: (a) *Si occurreris bovi inimici tui, aut asinurranti: reduc ad eum. Si videris asinum odientis*

O O 2

18

[a] *Ham. 44. ad popul. Exod. 23. 4.*



te jacere sub onere : non pertransibis, sed subleu-  
cum eo. Trutinat id, quod interest legis ad legem  
populi ad populum ; rei ad rem, & damni ad da-  
num. Si namque in illâ lege, quæ erat timoris, non  
moris, Deus decreverit, ut quisque tantam bovis  
asini, etiam inimici sui susciperet curam : quid  
velle arbitraris in lege Evangelicâ, quæ est lex ani-  
ris, ut agas, non cum hostis tui jumento, sed fratris  
animâ, adeò pretiosa, ut cœli, terræque præval-  
pretio ?

II. Concludit tandem Chrysostomus; *Quomodo  
nos est summa inhumanitas, & ferina crudelitas,  
non tantum curæ hominibus impendere ; quantum  
illis jumentis ? Plurisne forsan est, asinum jacere  
puteo, quàm animam in flagitio ? Et tamen, si ces-  
derit asinus in puteum, quis non accurrit, ut conferat  
auxilium ? Severè, sed verè Augustinus ; (a) Si neque  
xeris corripere : pejor factus es eo, qui peccavit. Sed  
corripiendo, primæ partes dandæ sunt lenitati,  
clementiæ. Unde sic loquitur D. Leo : (b) Plus est  
corrigendos agat benevolentia, quàm severitas ; plus  
scohortatio, quàm commotio : plus caritas, quàm  
stas. Primum, adhibeatur mollior, tum gravior cor-  
tio ; deindè increpatio, tandem sequatur punitio. Et  
juxta prædictæ tesseræ monitum : *Foris increpatio,  
tus dilectio.* Sit tempestas in ore, malacia in corde,  
in fronte nubes, in animo serenitas ; in lingua ro-  
phæa, in mente oliva ; in verbis fulmen territantis,  
venis lumen delectans. Nec hîc timeas displicere  
pessimis. Aude tantum facere pro Deo, quantum  
impius contra Deum. Peccare, est operum omnium*

(a) L. 1. de civit. c. 9. (b) Epist. 84.



Julius.  
malorum pessimum : corripere peccantem, est opus  
omnium Deo gratissimum. Si ergò non pudeât alte-  
rum facere, quod est pessimum, hoc est, peccare; pu-  
debit te facere, quod est optimum, hoc est, corripere  
peccantem? Tuum, dum alter peccat, silentium, est  
tacitum quoddam alieni peccati à te probati testimo-  
nium.

III. Sed si obdurata in vitio mens de sua sede, de  
cathedra pestilentiae non dimoveatur, addantur mi-  
nuz; si nec illae profunt, subsequantur poenae. Sic fecit  
Gennarius Antistes, qui, cum haberet in Ecclesia sua  
Clericum insolentem, qui armis audaciae fretus, &  
monita ridebat Antistitis, & in omni genere lasciviae  
impunita licentiâ volutabatur. Praesul, cum remedia  
omnia deessent, ad Divinum confugit : Templo illi  
procerat, in quo S. Eleutherius Martyr colitur; pro-  
funde magno ardore plenus, ad illum hunc in mo-  
dum scripsit literas : *Sancte Martyr Dei Eleutheri,*  
*molis tuus incompositam agit vitam : quapropter, aut*  
*tibi ille corrigendus, aut tu ab Ecclesia rejiciendus es.*  
Quae voces non prius in charta fuerunt exaratae,  
quam in caelo exaudita. Nam post scriptas literas,  
de repente Clericus ille concidit mortuus. Quot  
nunc corrigentur peccata, si sic corriperentur pec-  
cantes? Et hoc, signum est sincerum sinceri amoris;  
si amicum errantem à via, deducas in viam; si violan-  
tem Divinam legem, admoneas violatae legis; si ca-  
dent in peccatum, porrigas manum, ne cadat; vel  
ceciderit, jacentem erigas, ut surgat. Peccantibus  
dissimulando connivere, est peccata fovere. Unde  
haec esto rata sententia :

*Ipsi vexantur, nisi pravi corripiantur.*



## 28. DIES JULII.

Nobis vixerunt veteres ; vivimus non futuris ; nec  
sibi. *Chrysol. serm. 101.*

**Charitas. I.** **P**er omnia sæculorum curricula  
in omnes. sunt quædam inter homines  
moris quibus innectuntur  
cula. Ætate nos præcessere nos

**Majores :** nos illis successimus : posteri nobis sunt  
cuturi. Ex illis omnibus nemo vixit, vivit, aut vivit  
sibi soli. Ut porrò aliis vivas, tibi morere. Ut vivas  
proximo, prodesse stude. Si tibi soli vivis, & tu  
mortuus es, neutri vives : prodis autem corpori  
& animæ, facultatibus pariter, & virtutibus. Quod  
si non potes factis, supple votis. His nunquam de  
stitutus es, quantumcunque infirmus. Malo in pro  
mis illum, si quo tenetur, & tu potes, penitus liber  
sin potes, minimum subleva. Malum, si natura, aut  
pœnæ; si corporis, aut animæ; præbe malo tollere  
media, si non alia, saltem minuendo, solatia  
mulcent illa, si non perfanant, Malum si morum,  
aut culpæ est; fac, sciat esse malum; tantò pejus qua  
rò majori spoliat bono. Inculca cautelam, in de  
lùm speret tutelam : jube invigilare initiis, explore  
suggestiones, non fidere inclinationibus, cæli open  
invocare, Deum testem statuere. Profer consilia  
adhibe monita; minas non tuas, nec è tuo; sed De  
nas, & è Deo recita. Proximum exonerare malo, pa  
amoris una est; cumulare bono, pars altera est; tu  
ramque complectere.

**II. Bonum in Virtute statuo :** extra quam, si qui  
bonum



I. *Julius.* bonum est; non hominis bonum est, aut certè non  
 hominis boni. Hanc porrò, ut suadeas; efficacius  
 facies exemplo, quàm præcepto; vita, quàm linguâ;  
 factis, quàm verbis. Infer de virtute opportunum  
 subinde sermonem; ostende illius exercendæ occa-  
 sionem; expone pretium; propone præmium; ac-  
 cende desiderium. Ut verò accendas, antea ferveas.  
 Jobum sequere; sis oculus cæco; auris surdo; ma-  
 nus debili; cor afflicto. Ut vivas proximo, sic illum  
 ames, sic alterum te. Amoris consortium, non ti-  
 met diffidium. Candore verba pingue, fervore vo-  
 ta, honore facta, rubore consortia: ut probes ama-  
 re, stude honorare. Abstine, quo possit ille offendi;  
 sollicitæ, quo tu lædi: Cave fastidium, desinit non ra-  
 tio in odium. Nullâ mercede vendendus est amor in  
 proximum: gratis, ut sit gratus, semper prodigatur.  
 Dum vendit, qui charitatem alicui impendit, nisi  
 propret ipsum; nam Deus, charitas est. Non te eò  
 objicias, ut proximo beneficia tua objicias; sed sicuti  
 iudicas Dei esse munus, si quis de te sit benè meritus:  
 ita beneficium Dei æstima, quidquid aliis exhibue-  
 ris; nec tuum illud existima. Imò reputa majus be-  
 neficium; tibi à Deo factum, quòd te elegerit, aliis  
 benefaciendi instrumentum. Amorem ab aliis non  
 concilias de temporalibus; nam talis amor perit cum  
 tempore: nec illa tam est charitas, quàm cupiditas:  
 non amor hominis, sed avaritia bonorum humano-  
 rum.

III. Dum piè, & sincerè diligitur proximus-  
 tunc celebratur ille cordis contractus, sine par-  
 tum injuria, quo alter alterum reddit, & ac-  
 cipit: contractus firmissimus, & super omnes ratus



Commerciū ritus : animarum scilicet, & voluntatum.  
 Amor enim, proxeneta est cordium, trapezita am-  
 morum, tabellarius voluntatum. Hinc aeternum  
 se foedus amoris est, & nodus Gordii nexibus actum  
 contractus nunquam rescindendus, nec pœnitens  
 dus. Pacta dissolvi alia possunt, quia eadem volun-  
 tate, quā fiunt, solventur : istud idcirco fit, quod  
 alia commutent paciscentes ; non voluntatem, quā  
 commutant : in amoris autem contractu, eadem  
 triusque voluntas, materia est contractus. Voluntas  
 alienatur, dum fit alterius : voluntas traditur, ut  
 amplius jam sui domina : ipsum pœnitendi jus amittit,  
 dum alieno se arbitrio committit. Itaque fortissimus  
 est nodus amoris. Qui aliquem amore capere  
 fortius arripit, quā maxima violentia ; implicat  
 constringit, quā retibus : securius ligat, quā ulla  
 funibus ; imò, quā ferreis catenis : non enim exterius  
 vim immittit, sed intus urget : atque ipse vinc-  
 ctus, non vult solvi : potius se liganti insinuat, atque  
 colligat : sed licet ille nexus non possit dissolvi, potest  
 secari : ut enim Alexandri gladius nodum Gordii  
 sic violenta mortis falx secabit. Itaque solum, si illud  
 contractum cum Deo ineas, justissimus, & securissimus  
 est : cuius nec amor perire potest, nec ipse. Non  
 quit leviter voluntatem mutare, nec mutari : nulla  
 pœnitentia illum subit amandi bonos ; hoc est, pœnitentia  
 mautes ipsum, sive summum Bonum. Hunc semper  
 ama, quem potes semper oculis tuis habere ob-  
 ctum à te amatum. Quid prodest esse jucundum  
 quā amare, & semper videre amatum ? Quia,  
 teste Poëta :

*Est oculis gratum, speculari semper amatum.*



## 29. DIES JULII

Membra sumus Magni Corporis. *Seneca*  
*Epist. 95.*

Benevo- I. **Q**Uàm est facile cuivis homini  
 sentia. velle: tam non est difficile,  
 omnibus benè velle. Hinc  
 nascitur ex Charitate, pulcherrimæ matris, pul-  
 cherrima proles, Benevolentia. Cujus, si pondus  
 non intelligis, pondera Divi Ambrosii verba, ut  
 intelligas: (a) *Tolle ex usu hominum Benevolentiam,*  
*tanquam Solem è mundo tuleris, ita erit, quia sine ea*  
*usus hominum esse non potest.* Ejusdem momentum  
 capies, si suis momentis expendas illud adagium,  
 hautum è penu Divi Hieronymi: (b) *Unus Be-*  
*nevolentia pilus magis trahit, quam centum boves,*  
*centum bobus juncti.* Benevolentia non tantùm  
 fortiter trahit, sed firmiter munit. Hinc, amicis  
 suadentibus Antigono, ut si Athenas caperet, va-  
 lidis illam præsidis communiret, ne quando de-  
 ficeret: respondit, se semper fuisse in ea opinione:  
 ut crederet nullum esse Regni præsidium firmitus,  
 quam civium benevolentiam. Est autem benevo-  
 lentia latè patens, & ad omnes quoscunque fuissimè  
 sese explicans; quia nullus omninò est, quem  
 suo sinu non complectitur: nullus, qui ejus fructu  
 excluditur. Omnes quippe homines sumus: eo-  
 dem, omnes, parente Deo procreati: cujus etiam sa-  
 pientissimum consilium in universo hominum ge-  
 nere, ex unius primi hominis substantia, ad stabilien-  
 dam

O o 5

dam

(a) 1. Offic. c. 32. (b) Nov. l. 24



dam Charitatem educendo, omnes Sapientes merito suspiciunt.

II. Plurima habemus in rerum natura concordia inter nos pignora, & Charitatis vincula. Hoc accuratè expendit Divus Chrysoſtomus: ex eo, quòd omnes ejusdem ſubſtantiaſ ſimus. (a) Deinde, quòd ex viro ſit mulier, & liberi, item ex utroque. Hinc multi naſcuntur affectionis modi. Hunc, quia pater eſt, amamus; illum, quia avus: hanc, quòd ſit mater illam, quòd nutrix: hunc: quòd filius; illum, quòd nepos: & illum, item, quòd pronepos: hanc, quia ſilia: illam, quia neptis: hunc, quia frater: illum, quia ex fratre nepos: hanc, quia ſoror: illam, ex ſorore nepotem: & quid recensere univerſam cognationis ſeriem attineret? Sic Deus nos undique coniunxit à natura, à ſanguine, à cognatione, ab affinitate, à commercio, à ſimilitudine, à lingua, à loco. Aliud deinde, inſigne eſt argumentum ad inſigendam ſinceram, & integram ergà omnes Benevolentiam: ex eo petitum, quòd omnes, quotquot ſumus, fratres ſumus. Quod obſervat in hunc modum Divus Ambroſius: (b) Omnes homines unius naturæ partus ſunt, intra ejus concepti viſcera, & uno foti, atque effuſi utero. Unde nobis jure quodam germanitatis, velut fratres connectimur, ab uno Patre conditi, & à Matre, tanquam fratres uterini editi. Et ideo, cum ſimus rationabilis naturæ ſoboles, tanquam uterini diligere debemus amore mutuo.

III. Eſt & aliud argumentum in hanc rem deductum: quòd non modò ſimus tanquam unius uteri fratres; ſed unius humanæ ſocietatis, tanquam

(a) Hom. 20. ad Ephes. (b) L. 2. de Abraham, c. 1.



quam unius corporis membra. Unde hanc formulam humani officii sic tradit Seneca: (a) *Omne hoc quod vides, quo Divina, atque humana conclusa sunt, unum est: Membra sumus Corporis Magni. Natura nos cognatos edidit: cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hac nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles facit. Illa, æquum justumque composuit, Ex illius constitutione, miserius est nocere, quam ladi. Ex illius imperio, parata sunt juvantis manus. Sed ad persuadendam hanc mutuam inter homines concordiam: nullum est nervosius argumentum, quod nisi Benevolentiam invicem exhibeamus, & tueamur, actum erit de humana societate; ut non tam leviter ostendat, quàm graviter convincit Seneca: (a) Nam, quo alio tuti sumus quàm quòd mutuis juvamus officii? Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? Præda animalium, & victima, & vilissimus, ac facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus, in tutelam sui, satis virium est. Quæcunque vagantur, & actura vitam segregem, armata sunt. Hominem, imbecillitas cingit: Non unguium vis, non dentium, terribilem fecit cæteris; Nudum; & infirmum societas munit. Hæc benè expensa, Benevolentiam cuilibet non tantùm suadebunt, sed extorquebunt. Non cuivis est integrum, cuivis benefacere: quivis tamen potest cuilibet benè velle. Ubi non datur munus, superest, ut detur saltem benignus vultus, Enim verò.*

*Dat multum: placidum dans, vel sine munere vultum.*

30. DIES

[a] Epist. 95. (b) L. 4. de benefic. c. 18.



## 30. DIES JULII.

Illis maximè, laudis est benefacere, quos nemo sperarit, bene esse facturos. *Lactantius lib. 6. cap. 12.*

Benefi-  
centia.

I. **H**Æc germania est in doles A-  
moris, esse munificum, imò  
in munificentia magnificum.

Sorores sunt, Benevolentia, & Beneficentia. At amicitia, sine Beneficentia, est planta sine flore: flos sine fructu: fructus sine succo. Dare, est quiddam longè præstantius, ut Philosophi definiunt, quam accipere. Illud enim, est Regium, Heroicum, Divinum: hoc plebejum, humile, & avarorum proprium. Donare, esse dicunt, ut formam, & actionem: Accipere, ut materiam, & passionem. Formâ autem, est rei pulchritudo, & gratia: sine qua materia ipsa, ut deformis, & inamæna despuitur. In Beneficentiæ laus à donando vim suam, ac venustatem accipit. Deinde, cùm Liberalitas sit quædam emissio: quantò illa sit ad majus intervallum, longiorque distantiam: tantò à majori virtute procedit, ut patet in iis, quæ projiciuntur. Nec enim, bombardæ a næ vis, impetusque agnoscitur, si in vicinum, & conjunctum murum, ore vasto fulmineos globos ejaculatur, quos debiliùs verberare tum objectam molem necesse est, quàm remotiùs constituti vehementiùs quaterent, convellerentque faciliùs. Sic dicendum est, majori virtute, emissionem fieri pecuniæ in alios, quàm si animi cura, & sollicitudo in eadem pecunia apud se conservanda, & in proprios usus collocanda hæreret. Itaque dare, Regium est.

Hinc,

Julius.  
Hinc, A  
finum,  
II. S  
honora  
hoc est,  
& tanqu  
adjunct  
dæ ma  
dum.  
Tullius  
tere, ne  
tur. N  
gnis. Se  
huncqu  
Deos im  
Sol orit  
dari illis  
prædict  
juxta D  
ut profi  
que ma  
rioso, in  
cedem a  
tia illa,  
quando  
flagitio  
no lube  
Donabi  
Sicigit  
inimici.

[a] L  
L. 1. Off



Hinc, Anaxilaus rogatus, quid esset in Regno beatissimum, respondit: Nunquam vinci beneficiis.

II. Sed cum Beneficentia sit Regalis, & maximè honorata virtus: necesse est, ut præcipua illius actio, hoc est, Largitio, Regiis veluti ornamentis vestiatur, & tanquam ab ornatrixibus scitis, & venustis, sic ab adjunctis, & circumstantiis decoretur. Has inter, duæ maximè eminent: *Cui*, & *Quantum* sit donandum. Habenda est ratio personarum in dando, Tullius non vult Beneficentiæ fontes omnibus patere, ne benefacta malè collocata, malefacta videantur. Non vult ergò, dari ingratis, maculosis, indignis. Seneca neminem excipit. Sic enim ipse: [a] *Ubiunque homo est, ibi beneficio locus est.* Et alibi: *Si Deos imitaris: da etiam ingratis; nam, & sceleratis solentur, & pyratis maria patent.* Lactantius vult dari illis, à quibus non speres mercedem, ut patet in prædicta Tessera. Sed habendus tamen est selectus, juxta D. Ambrosium: qui vult nos eo largiri consilio, ut profimus, ne sceleratam animi voluntatem, usumque maleficiorum sustentemus: [b] *Nam, si, luxurioso, inquit, ad luxuria effusionem: adultero, ad mercedem adulterii largiendam putes: non est beneficentia illa, ubi nulla est benevolentia.* Tribui tamen a quando posset malis si speretur fore, ut eo modo, à fragitioso vitæ genere abducantur. Et de Christiano lubet dicere, quod de suo Sapiente Seneca: [c] *Donabit aut bonis: aut eis, quos facere poterit bonos.* Sicigitur dandum est malis, ut fiant boni: sic & inimicis, ut reddantur amici. Hinc, Alexander Se-

verus

[a] *L. de Beata Vita, c. 24. L. 4. de benefic. c. 25.* [b] *L. 1. Offic. c. 3.* [c] *De Beas. Vit. 23.*



verus rogatus, quid esset Rex optimus? Qui, ait, amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis amicitia, & sibi conciliat.

III. Non tantum *Cui*, sed *Quantum* sit dandum oportet expendere, ne sit inconsulta largitio. Quod evenisse subinde ait Tullius: (a) *Multi patrimonium effuderunt, inconsultè largiendo*. Hoc etiam Deo duplicet, teste S. Ambrosio: (b) *Dominus non vult multa effundi opes, sed dispensari*. In primis, ut hic modus servetur, tribuendum est pro facultatibus, quantum patitur res familiaris, & partem opes, & commoda familiae. Nemo enim debet, qui conjugatus est improvidis, & profusis largitionibus, incommodare suis liberis, quibus imprimis consulere, necesse est, ne quasi ex illo bonorum naufragio in littus perterriti, ad malarum artium scopulum adhærescant, in familiae ope, & praesidio spoliatos tueantur. Itaque erogandum est secundum modum facultatum, ne subito immodicè largiendo, beneficentiae fontes penitus exhauriantur, & postea desint, quae in multis conferri potuissent, aut illi ipsi, qui tam effusè tribuere voluerunt, in molestam paupertatem, & domesticæ rei difficultatem incidant. Denique accedat, ut gratius sit donum, in dante hilaritas, ut libenter, & celeritas, ut festinanter donet. Propterea audi Paræneticum Poëtam:

*Gratia debetur pro manere: si citò detur:  
Sed si tar detur, non gratum munus habetur.*

(a) 2. Offic. (b) L. 1. Offic.



## 31. DIES JULII.

Ad majorem DEI gloriam.

S. Ignatius.

S. Ignatii I.  
encomium.

**N**on est major Sancti Ignatii gloria, quam semper, & ubique quævisse majorem Dei gloriam. In profana militia erat ei; ut profano militi pro Tessera, major gloria sui; in sacra, major gloria Dei. Hujus non tantum conservandæ ambitiosus; sed & propagandæ fuit impensè studiosus, sed quoniam summam, & numerum rerum per Ignatium, ejusque socios ubique gestarum: non est proclive aut diligentiam consequi, aut complecti memoriâ: Unum propono Ignatii elogium, quod inter omnia censeo esse unum præ omnibus, quo illum supremus Ecclesiæ mystagogus, Urbanus. VIII. anno hujus sæculi trigesimo sexto mirificè condecoravit: qui maximorum, ac immortalium meritorum, quibus universam Christi Ecclesiam illustravit, magnitudinem volens exquisiti honoris amplitudine adæquare, in Sacro-Sanctos Ecclesiæ factos, quos vulgò Martyrologium vocant, placuit Ignatii nomen his ipsissimis verbis referre: *Roma, natalis Sancti Ignatii Confessoris, Fundatoris Societatis Jesu, sanctitate, ac miraculis clari, & Christianæ Religionis ubique dilatanda studiosissimi.* Pondera illud: *Ubique, & per Africam, & per Americam, & per Asiam, & per Europam.* Nusquam Solemittit radios, quò non Ignatius ad propagandam gloriam Dei, misit socios.

H. Dei



II. Dei gloriam quaerivit primùm, per militiae saevioris asperissima rudimenta, per insidias dæmonum, per oppugnationes hominum, per compedes, & vincula in carceribus, per opprobria, & falsas criminationes, per conjurata in unum omnia. Sed potissimum per legionem in Ecclesia Dei fortissimam, quasi prætorianam, quam Jesu nomine, non solum descripsit, Sed omittis, quæ gessit, plurimis, & maximis, ad ultimum, eumque felicissimum scenæ ipsius actum, mentem converte. Tria sibi Ignatius petierat à Deo concedi, antequam à vita discederet. Primùm, videre perfecta exercitia spiritualia, & auctoritate Apostolicâ comprobata. Alterum, confirmatam eadem Societatem: Postremùm, Constitutiones conditas. Horum compos votorum factus, unum illi erat desiderium, Deo reddere ultimum spiritum. Quid dubitas Ignati? Jam securè sine metu morere? cujus omnis vita, fuit aliis vivendi norma. Morere Ignati? Vides jam per te eversa passim dæmonum castella: proscripita ubique gentium, inter Gentiles vitia: revocatas tuo studio virtutes ab exilio: Musas à funere excitatas: scientias ab interitu vindicatas. Morere Ignati? Audivisti per socis tuos, infantes è plano Christianis præceptis imbutos, pueros, pietate in templis informatos, juvenes moribus in Gymnasiis probè excultos: viros è superiori loco officii admodum onitos, pœnitentes, in æde sacrâ, Deo reconciliatos, tot Parthenicas congregationes Virgum consecratas: usum Sacramentorum, propè abolitum, pristino vigori restitutum.

III. Itaque Ignatius imbutus immensâ quâdam exuberantis lætitæ copiâ: incensus incredibili Christi

Julius  
den di c  
quinto,  
tis, sex  
cimo-qu  
set Colle  
lucta, p  
quo acc  
mine, cu  
nomine,  
de, volu  
Jesu, I  
omnis stu  
si & Non  
su, morib  
tali, dice  
tudinem  
diceris Je  
pro me fi  
toret piac  
mundi or  
core Lud  
vunt Nom  
vium, Ch  
ratia: Je  
ce, à Chr  
si dicem  
derum ho  
quam non  
dicere, qu  
Cuncta  
Gnēti  
Pars I



Julius.

Tessera.

593

der: di cupiditate. Sæculo à partu Virgineo, decimo-  
quinto, illius sæculi anno quinquagesimo sexto, ata-  
tis, sexagesimo-quinto, à confirmata Societate, de-  
cimo-quinto. Postquam pro sociis centum erexif-  
set Collegia: duodecim Provinciâs, cùm solus sine  
lucta, peccato animo, egisset animam: eandem illi,  
quo acceperat, redditurus, illo, auspiciatissimo no-  
mine, cui infinitis nominibus erat obstrictus: Illo  
nomine, quod illi sæpè fuerat in ore, semper in cor-  
de, voluit facere finem: ut loquendi, sic & vivendi,  
Jesu. Paries tibi nomen, quod nulla delebit ætas,  
omnis stupebit posteritas, tota intuebitur æternitas,  
& Nomen Jesu, cultu prosequaris, & virtutes Je-  
su, moribus exprimas. A Christo, in hac vita mor-  
tali, diceris Christianus; fac tanti nominis ampli-  
tudinem virtute adæques: à Jesu, in vita immortalis  
diceris Jesuita. Quid stupes verbi insolentiam? sisto  
pro me fidei-jussorem illum, cui fidem derogare,  
foret piaculum, utpote, qui à toto mundo habetur  
mundi oraculum, Divum Augustinum, cujus ( au-  
ctore Ludolpho Saxone ) hæc sunt verba: *Diffe-  
rent Nomen Jesus, & Christus: Jesus, est nomen pro-  
rium, Christus commune: nomen Christi, est nomen  
gloria: Jesus, Gloria: ut enim per gratiam Baptisma-  
tis, à Christo dicuntur Christiani, sic in caelesti gloria, à  
Jesu dicemur Jesuita.* Nec est aliud nomen sub cælo  
datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri.  
quod nomen ( ut eodem verbo desinam de Ignatio  
dicere, quo ipse desiit vivere ) Jesus:

*Cuncta tui Ignati currant per climata Nati:*

*Cuncti ut ament Jesum, pro cunctis vulnere lesum.*

Pars II.

Pp

I. DIES